IDEA
PHILOSOPHIÆ
SIMULATÆ,
NON VERÆ,
IN
SCIENTIA JURIS
ET
FORENSI.
CUM PRÆFATIONE
AUCTORIS.

*************:*************

ANNO MDCCXXXV.



PRÆFATIO.

DE Protagora, magni nominis viro apud Græcos veteres, (1) commemorat Noctium Atticarum facundus ſcriptor, (2) quod, cum adoleſcens onera bajulando victum quæreret, Democritus Abderitenſis Philoſophus (3) viderit eum extra urbem ſarcinam lignorum vinculo brevi artificioſe colligatam portantem, quam ſolvere juſſus, eadem arte & induſtria iterum conjunxerit. Quo facto, ingenium hominis admi-

(1) Diog. Läert. *Vit. Philoſophor. lib. 9.* Athenæus *Conviv. Serm. lib. 8.* Cicero in Bruto *cap. 8.* & *de Natur. Deor. lib. 1. cap. 23. 46.*

(2) Aul. Gellius *lib. 5. cap. 3.* vid. Fabrit. *Bibliothec. Latin. vol. 1. lib. 3. cap. 1. pag. 508.*

(3) Idem ille, quem inſipienter ridentem fingunt & pingunt imperiti. Fabulam hanc cum aliis riſit Gundlingius *in Otiis part. 3. cap. 1. §. 6.* & Heumannus *in Actis Philoſoph. part. 1. pag. 15.* junct. *pag. 436.*

admiratus Philoſophus, abduxerit eum, docueritque Philoſophiam, in qua tantopere profeciſſet, ut deinde diſcipulis ſuis polliceretur docere artem, qua cauſa aliqua infirmior dicendo fieri ſuperior poſſet. (4) Artem ſcilicet, qua cauſarum injuſtitia aliqua ratione obvelari, & judicum animis æquitatis ſpecies induci, viciſſim juſtioribus cauſis iniquitatis aliquid adſpergi poſſet. Veruntamen ad hanc artem Protagoram, ſi modo eam calluiſſe ipſum neque arroganter jactitaſſe credendum eſt, (5) non ex diſciplina Democriti, hunc enim iſtiusmodi ſcholæ magiſtrum fuiſſe non legimus, (6) ſed ſuopte ingenio perveniſſe dicendum

(A) 2 erit.

(4) Cicero in Bruto *cap. 8.* ubi etiam alios ejusdem arrogantiæ Sophiſtas nominat. Et Themiſtius *Orat. XXIII. Edit.* Harduini *pag. 286.*

(5) Nam quod credidit Protagoras, id cuique eſſe verum quod cuique videretur, Cicero *Acad. quæſt. 4. pag. 46.* non idcirco in ejus poteſtate fuit, ut dicendo ſuperior fieret cauſa, quæ eſſet infirmior. Non deſunt hodie, quibus cum Protagora eadem ſedet arrogans imaginatio, vel qui, ut ait Cicero *ibidem cap. 15.* fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti, cum eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt à veritate.

(6) Democritus vir ingenti ingenio & opulentiſſimus, in inquirendis rerum cauſis potiſſimum poſuit ſtudium, vid. Cicer. *de Orator. cap. 49.* & *Academ. quæſt. 4. 10. & 37.* & *de Finib. l. 6.* Stanlejus *Hiſtor. Philoſoph. Edit.* Olearii *pag. 884.* Stollius *Hiſtor. Literar. pag. 363. & 526.* præcipue & ad pleniorem notitiam Bælius *in Lexico*, voce: *Democrite.* Gund-

ling.

erit. Neque dissimulavit hoc Gellius, cum Protagoram acerrimum quidem Sophistam, sed insincerum Philosophum fuisse ait, eumque in omni sua verborum atque locutionum arte à discipulo Evathlo insigniter delusum, alio loco recenset. (7) De ipso igitur Protagora non admodum laudabiliter sensit posteritas. (8) Honorificum enim, si origo spectetur, Sophista-

ling. *in Otiis part. 3. cap. 1. §. 5.* Heumann. *Act. Philosoph. part. 2. pag. 278. 300.* Hæc plerorumque Græcorum fuit Philosophia, Cicer. *dict. Acad. Quæst. lib. 4. cap. 37. dict. Act. Philosoph. part. 2. cap. 3. pag. 292.* Fuisse tamen inter eos jactatores magniloquos, exemplo *Hippiæ* illius docemur, de quo narrat Cicero *lib. 3. de Orat. cap. 32.* gloriatum fuisse, quod nihil esset ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Musicam, Literarum cognitionem & Poëtarum: de hominum moribus, quæ de Rebuspublicis dicerentur: sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, de sua manu confecisse.

(7) Gellius *lib. 5. cap. 10.* Decem millia denariorum promissa fuisse Protagoræ, refert Quintilianus *Instit. Orat. lib. 3. cap. 1.* Imperiti vero fuere Judices, quibus controversia cum Evathlo (similis posset accidere hodie) visa est insolubilis. Nam quod Protagoras solutionem reliquæ pecuniæ usque ad litis cujusdam victoriam differri pepigerat, h. e. in casum incertum, ipsi sibimet imputare debebat.

(8) Arrogantiam Protagoræ, & qui ei erant similes, contemtum Religionis, inter Ethnicos etiam vituperatum, satis notavit Cicero *locis supra dictis*, & *de Natur. Deor. l. 23.* Nec non Themistius *Oratione supra allegata.*

phistarum nomen, cum multi jactantiæ tantum verborum & conclusiunculis fallacibus darent operam, eamque artem ad quæstum converterent, pecuniarum ab adolescentulis acquirendarum æruscatores, in vitio haberi cœpit. (9) Nimirum sicut in describendis lineis una tantum fieri potest recta, earum vero quæ à via recta discedunt species dari possunt innumeræ; Ita etiam qui à veritatis simplici via abeunt errores, sunt infiniti. Inter hos est maximus, ubi loco veri apprehenditur falsum, injustum pro justo, pro luce tenebræ. Si modo liceat errorem vocare quod est in genere morum turpitudo gravissima, non excusanda sed coërcenda. (10) Causam aperte frivolam dicere

(A) 3 justam

(9) *Acta Philosoph. part. I. pag. 87.* Audax negotium Sophistarum dicit Cicero, quod de re quavis dicere ausi sint, & quidem docte, *de Finib. lib. I. cap. I.* Cumprimis odiosum erat, quod isti sapientiam sibi arrogarent solis, Themistius *Orat. XXIII. pag. 286. 244.* & *Orat. XVIII. pag. 261.* quod verborum rationem, mercede constituta, traderent adolescentibus, *dicta Orat. XXIII. pag. 289. 294.*

(10) Si quis insanire voluerit in opinionibus suis absque alterius damno, contemtui sese exponet omnium. Alii ostentationis gratia nivem atram esse, solem non lucere, & similia, disputationibus ineptissimis defendere sunt ausi, vid. Cicer. *Acad. Quæst. IV. 7. seqq.* & *cap. 23.* Qui etiam, *lib. II. de Divinat.* Nescio, ait, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum. Ubi vero de iis officiis hominum agitur, quæ sunt honesta vel turpia, justa injustave, defendere nefaria & impia minime licet. Apud eundem *lib. 2.*

justam puduisse etiam Sophistas, qui honestatis sensum non exuerunt, videtur probabile; Quid enim magis dici posset ab humanitate alienum, quid inverecundius, & ad omne vitiorum genus proclivius? Neque adeo calumniarum magistrum fuisse Protagoram puto, qua arte existimationem acquirere sibi non potuisset, sed iis argumentis operam dedisse quæ eum specie veri proferri poterant in medium. Morem hunc excusat ipse *Tullius*, cum patronis causarum licitum esse affirmat, (neque tamen cum omni fiducia) nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere *lib. II. de Offic. cap. 14.* Orationis hoc artificium quanquam valere aliquid possit apud incautos, in accuratio-

lib. 2. de Offic. cap. 14. & *lib. 3. cap. 17.* digna leguntur verba, quæ huc transferantur:

Aliter Leges, aliter Philosophi, tollunt astutias. Leges, quatenus manu tenere possunt: Philosophi, quatenus ratione & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter.

Et porro: *Hoc quanquam video, propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut Lege sanciri aut Jure Civili: Natura tamen Lege sancitum est. Societas enim est (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt, propior eorum, qui ejusdem civitatis.*

Pergit: *Quocirca astutiæ tollendæ sunt eaque malitia, quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum & malorum: malitia (si omnia, quæ turpia, mala sunt) mala bonis ponit ante.*

Porro: *Ex quo intelligitur, quoniam Juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ. (Ex quo illa innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur.)*

ratiori tamen examine destruitur facile, ad argutias & vafritiem referendum potius quam ad Philosophiam sinceram. (11) Alia ratione à recta via discedunt simulato res, qui, quod non sunt, externa specie mentiuntur. De iis non dico, quibus est voluptati ut adsumtis vestibus mentititiis vel larvis spectaculo sint aliis, & sibimet ipsis: Eos potius designo, qui, ut videantur sapientes, imitantur vel magistri sui vel discipulorum melioris notæ cultum mores & instituta. Id quod inprimis fieri potest, si sit aliqua hominum secta vel societas professione & cultu externo ab aliis segregata, peculiarem honorem affectantium. Tales erant inter Græcos philosophico habitu incedentes, pallio & barba superbientes, moribus à vita communi abeuntibus venerationem & admirationem sibi promittentes, (12) quorum nonnullis vitæ hujus commoda erant despe-

(11) In eodem censu sunt causidici, qui multitudine allegationum ex Auctoribus, quos plerumque ipsi non viderunt, chartas implent, Judicem doctrinis istis fortassis opus habere putantes. Contemtui non sunt allegationes bonæ, ad factum recte applicatæ, sed generalibus principiis & citationibus ad rem parum facientibus folia illiniunt non nisi λογοφάπται imperiti.

(12) Vid. *Tit. Cod. Theodos. de Medicis & Professoribus lib. XIII. l. 7.* quæ est in Codice Justinianeo repetitæ prælect. *l. 5. de Professoribus*, & in eam *Commentarium* Jacobi Gothofredi. Gellius *N. A. lib. IX. cap. 2.* & *lib. XIII. cap. 23.* ubi præstigias notat Græcorum quorundam philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium; qui se nihil habere, & ni-

despectui: Alii ne decori quidem observantes, qui seculo nostro ad desipientium societatem fortassis dimitterentur. (13) Sunt denique alii à Philosophia vera rece-

& nihil tamen egere, ac nihil cupere dicant, quum & habendo & egendo & cupiendo ardeant, adde Everhardi Ottonis JCti *Orat. de vera JCtorum Philosophia*, à Gotth. Slevogtio *in Libello de Sectis & Philosophia JCtorum editam pag. 309.* Illud te moneo, inquit Seneca *Epist. V.* ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, evita. Satis ipsum nomen Philosophiæ, etiam si modeste tractetur, invidiosum est. Scilicet illo tempore, quo Pseudophilosophorum erat colluvies, ut loquitur Imperator *dicta Lege septima.*

(13) Finge hominem multa scientia instructum, moribus priscis illis Philosophis similem, decori vero contemtorem, (vereor ne dentur hodie tales, neque sit opus fictione) quis quæso istius virtutem esset laudaturus? Sunt ita connexa honestum, justum & decorum, ut contemplatione quidem recte distinguantur, in actione vero separari non debeant. Virtus non est quæ neglectu decori est maculata. Prædicet mihi qui voluerit virtuosos Cynicos, quos, cum indecore & sordide vixisse omnes affirment, ego putarem, si essent tales hodie, in existimatione & numero sapientum non futuros. Vix est, ut Catonis illius Romani, hominis, ita laudante Tullio, in omni virtute excellentis atque integerrimi, asperitatem nostrum ferat seculum, de quo Gellius *lib. XIII. cap. 23.* narrat, fuisse opulentum, neque tamen usum ædificio, vaso, vestimento ullo pretioso. Si quid est, quod utar, (dixisse Catonem) utor, si non est, egeo. Suum cuique per me uti atque frui

recedentes, qui vel per infelicitatem ingenii vel per tarditatem inſtructionis, tum vero impatientiam, & neſcio quam opinionem rei non admodum neceſſariæ, ad ſolidiora ſtudia non adſpirarunt, nihilominus tamen permodicum aliquid ſcientiæ quod velut in tranſitu decerptum retinuerunt, ita in uſum vertere noverunt, ut profundior & amplior quam eſt appareat ignaris, locum quem fortuna ſecunda nacti fuere inter ceteros tuentes. Hi, vulgari nomine, *Schlendriani* dicuntur diſcipuli.

Non errabo multum, ſi omnes iſtas aberrationum ſpecies appellatione una, *Philoſophia ſimulata*, complexum eſſe dicam *Domitium Ulpianum*, (14)

(B) virum

frui licet, vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere. Hanc Catonis nimiam in Stoicorum præcepta propenſionem inflectere ſtuduit Cicero *Oratione pro Muræna*. Duriora enim eſſe, quam veritas, natura, uſus & vita paterentur: Sapientem gratia nunquam moveri: nunquam cujusquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe niſi ſtultum & levem: Viri non eſſe neque exorari neque placari: Solos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, divites: ſi ſervitutem ſerviant, Reges: omnia peccata eſſe paria: omne delictum ſcelus nefarium: nec minus delinquere, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocaverit: Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. Hæc Stoicorum præcepta, ſi Ciceroni viſa ſunt veritati & naturæ contraria, multo magis forent ſocietati hominum Chriſtianorum, ſapiens iſtiusmodi plane intolerabilis.

(14) Vide inprimis *Orationem ſupra laudatam* Everhardi Ottonis *pag. 298. ſeqq. & 315.* Ipſe Ulpianus Stoicorum doctrinis imbu-

virum Philosophum juxta & Jurisconsultum, Philosophum, inquam, non contemplationibus nudis intentum & Leges, ad societates humanas quae sunt in hoc orbe terrarum non adaequatae, meditantem, sed vitae activae inprimis studiosum, experientiâ quoque in arte boni

imbutus quidem, magis tamen ad Herciscundos, h. e. Eclecticos, erat numerandus, is scilicet, cui quorumvis sectae Philosophorum ineptiae erant contemtui. Hoc satis testatus est in libris conscriptis, ex quibus tantum excerpta relicta nobis sunt *in Pandectis*. Huc pertinet *l. 1. §. 4. de extraord. cognit.* ubi à Professorum, publicorum salariis dignorum, numero excludit Philosophos, quia eos hoc primum profiteri oporteret mercenariam operam spernere. Porro *in l. 6. §. 7. de Excusat. Tutor.* Existimo, ait Ulpianus, quod qui divitiis superabundant, (de iis qui philosophantur loquitur) voluntarie tribuent pecuniam in utilitates patriae. (Hoc fecisse Democritum scribunt Historici; vid. Baelium *in Lexico dicto loco.*) Si autem proprie loquantur de substantia (hoc est, si propriam sibi substantiam patrimonii esse voluerint) inde jam manifesti fient non philosophantes. Parallelus est Papinianus *l. 8. §. 4. de Vacat. & Excusat. Muner.* cum ait: Vere philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendae cupidine fictam adseverationem detegunt. Haec omnia ad contemtum istius temporis, Philosophorum, simulatorum scilicet, dicta fuisse puto. Nam, quod Philosophiae verae axioma sit mendicitas, vel quod Philosophum deceat agere parasitum, hoc JCtos istos prudentes statuisse, credibile non est.

Ingenium quondam fuerat preciosius auro,
At nunc barbaries grandis, habere nihil.

cecinit tempore suo Ovid. *Eleg. lib. 3.*
Ad eandem sententiam rescripsere Imperatores *in l. 8. Cod. de Professor. & Medic. l. 6. Cod. de muneribus patrimonial.*

boni & æqui confirmatum. (15) Is, cum Libro Primo Inſtitutionum (16) *Juſtitiam*, inquit, *colimus & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes*, veram, *niſi fallor*, Philoſophiam, *non* ſimulatam *affectantes;* (17) Philoſophiæ nomine utitur, ſignificatione generaliore qua etiam comprehenditur prudentia Juris. Eſt enim, monente Joh: Schiltero (18) Jurisprudentia pars ſeu Ἀπόσπασμα Philoſophiæ practicæ, adeo ut utrique eadem conveniat definitio, ita tamen ut ſatis eſſe poſſit Philoſopho, ſi ſciat & oſtenderit quid ſit legitimum & ſocietati humanæ in cujuscunque ſtatu conveniens generaliter, ne-

(B) 2 que

(15) Vid. Gotfr. Maſcovii *Commentarium elegantem de Sectis Scabinianorum & Proculianorum cap. 8. de Herciſcundis, ſive Electivis §. 7.* Everhardi Ottonis JCti *dict. Orat. de vera JCtorum Philoſophia pag. 268. & 274. ſeqq.* ubi contra obtrectatores defenditur Ulpianus. Commentariorum Ulpiani ad Jus Civile Catalogum ex Inſcriptionibus Legum in Pandectis occurrentium contexuit Jacobus Labittus *in Indice Legum pag. 138. uſque 183.* Unde patet magnam partem Pandectarum deberi Ulpiano.

(16) Unde translata ſunt verba *in l. 1. ff. de Juſtit. & Jur.*

(17) *Niſi fallor*, addidit Ulpianus, non quod de animi ſui ſententia eſſet dubius, vel quod uni tantum ſectæ fuerit addictus, ſed modeſtiæ cauſa, vid. *ſupra dict. Orat. de vera JCtorum Philoſophia pag. 308. in not.* ſubjecta, & porro *pag. 294.*

(18) *Manuduct. ad Philoſoph. Moral. cap. 1. §. 14.* Everh. Otto *dict. Orat. pag. 288. ſeqq.*

que tamen de institutis civitatum & populorum, vel etiam de arte agendarum litium & dijudicandarum sit sollicitus, id quod proprie est Jurisconsultorum. Quod vero Schilterus, Nicolaum Cisnerum allegans *dicto loco*, Jurisperitiam à Philosophia sejungi, illamque absque hac nomen suum tueri posse ait, videntur uterque intellexisse peritiam nudam Legum, quæ ut Jurisprudentem & consultum faciat tantum abest, ut potius qui arte instructus est Leges ex bono & æquo interpretandi & ad factum applicandi, is, inquam, solus veri & non simulati Jurisprudentis nomen sustinere ex merito queat. Bonum, æquum, justum, non sunt diversæ significationis vocabula, sed illustrantia sese invicem. Non est alia cognitio justi, alia ars æquitatis, si hæc pro correctione Juris sumatur. (19) Prudentia quæ Jurisconsultum facit, non versatur solum (repeto verba Schilteri) (20) in interpretando Jure dubio, sed etiam in applicando Jure certo ad factum dubium. Si quisquam alius hanc rem edisseruit diligentius, instruendo officium & judicum & causas agentium in judicio, utrosque ad solidam Jurisprudentiam exhortando, certe inprimis est nominandus nobis *Nicolaus Cisnerus*, vir elegantia studiorum & prudentia Juris celebris, Augusti Judicii Cameralis quondam

(19) Ulric. Huberus *Digress. cap. 5. & 6.*
(20) *Dict. cap. 1. §. 5.*

dam Aſſeſſor digniſſimus, (21) in Præfatione ad Operum *Franciſci Duareni* Tomum ſecundum. Invenitur hæc Præfatio lectu digniſſima in Volumine Operum Scriptorum Duareni apud Wechelios editorum Francofurti Anno 1592. in principio Partis ſecundæ. Excuſa deinde inter Ciſneri Opuſcula à *Quirino Reutero*

 edita

(21) Vid. *Catalogus Collegii Cameralis in Commentat. Syſtemat.* G. M. de Ludolff *ad An. 1567. uſque 1580.* Vitam *Ciſneri* à *Quirino Reutero* Profeſſ. Heidelb. deſcriptam repetiit cum aliis JCtorum eximiorum vitis *Chriſtianus Gottl. Buderus.* Unde transferimus huc Elogium Ciſneri imagini à Nicol. Reuſnero adpoſitum:

Nicolaus Ciſnerus Mosbachii Palatinatus Electoralis oppido natus Anno 1529. ſpectata Vir induſtria ac virtutis, qui multiplici exquiſitaque omnium pene literarum praſtans ſcientia, Philoſophia & Juriſprudentia Doctor celeberrimus, Academia primo Heidelbergenſis Anteceſſor Juris Civilis ſolertiſſimus: dein Supremi Camera Imperialis Judicii Aſſeſſor per Annos XVIII. integerrimus, Pro-Judex tandem & Senator Illuſtriſſima Septemviralis Curia Palatina digniſſimus, pereruditus in omni doctrina genere, ac praſertim in Jure libris ſcriptis immortalem ſui nominis laudem & gloriam apud omnes mortales reliquit ſempiternam; Juſtitia & Æquitatis Antiſtes ac Praſes Opt. Max. Muſarum & Hiſtoria cultor eximius pie ſancteque mortuus deceſſit Heidelberga Anno Salutis 1583. Prid. Idus Martii. Ætatis Anno 53. M.XI.D.VI.

Quod vero in nota ſubjecta *pag. 309.* Velle ſe, addit *Buderus*, ut de vitiis viri non tacuiſſent, qui de vita Ciſneri quædam prodidere, videri poſſet legenti, multa de vitiis innotuiſſe auctori, qui tamen mox ſubjicit, nullum ſibi inquirenti oblatum fuiſſe ne leve quidem indicium. Si ad errores & imperfectiones inquirendas extenditur curioſitas, conſiderandum erit, neminem mortalium ab iis eſſe immunem.

edita Francofurti Anno M.DCXI. *in 8vo.* (22) Summaria capita hujus Præfationis prolixæ sunt hæc:

Quan-

(22) 1. Opinionum discrepantiam in Jurisprudentia semper fuisse. De Sectis JCtorum apud Romanos. Opus esse, ut constituantur notæ certæ ad discernendas opiniones veras à vitiosis.

2. Comprehensio rerum alia est simplex & certa, alia multiplex & inconstans. Et quæ sensibus percipiuntur, usu confirmantur. Hujus generis sunt omnes disciplinæ practicæ.

3. Adminicula ad judicium formandum sunt disciplinæ cujusvis propria instrumenta, tum vero laudatissimorum in arte quacunque virorum exempla, & observatorum applicatio. Jurisconsulti posteriores Romani fuerunt Eclectici.

4. & 5. Ejus rei in Jure Romano multa reperiuntur exempla, ex quibus aliqua recensentur.

6. Applicatio dictorum ad tempora nostra & varias Doctorum opiniones de ipso genere doctrinæ & interpretandi modo. Ubi de odio, quod concitarunt in se omnes, qui à via *Bartoli* ejusque asseclarum abierunt.

7. Causa odii, quod crederetur literarum humaniorum studia obesse Juris Civilis scientiæ, vel quod metuerent plerique detrimentum suæ existimationis. Alii tenebantur præjudicio auctoritatis.

8. Causæ, quibus moti alii, neglectis illis, ad Jus Justinianeum interpretandum Studio Philologico dederunt operam.

9. Ra-

Quandoquidem vero per ea quæ supra sunt dicta, simulatæ Philosophiæ species sint variæ, nobis tamen eam

9. Ratio docendi & interpretandi Jurisconsultorum veterum, ex quorum Libris Pandectæ compositæ.

10. Prætulisse eos Justitiæ & æquitatis rationem stricto Juri. Probatur testimonio Ciceronis. Studio autem Juris Civilis veteres junxerunt etiam alias disciplinas isti cognatas.

11. Refellitur opinio eorum, qui putant, non posse consequi laudem JCti egregii, qui aliis liberalibus disciplinis operam dederit. Primo exemplis veterum Romanorum.

12. Secundo, exemplis auctorum omnium, ex quorum scriptis opus Pandectarum fuit compositum.

13. Ingressus ad comparationem recentiorum JCtorum cum antiquis.

14. Proprietatem verborum, quæ ad Jus pertinent, Jurisperitis magis esse prospectam, quam Grammaticis, etiam nobilioribus. Exemplis hoc declaratur. Et de usu Titulorum, *de Verborum Significat.* & *de Regulis Juris.*

15. Artificiosam tractandi Juris rationem per compositionem, partitionem & dissolutionem esse quidem Dialecticorum magis, quam JCtorum. Eam tamen multum utilitatis adferre ad Juris disciplinam. Non tamen ideo omnem dialecticum Jus civile explicare posse, nisi in eo ante sit eruditus. Sic quoque Jus est ars boni & æqui. Non tamen qui Juris Civilis peritus, idem protinus est Ethicus & Philosophus. Optandum tamen ne hæ disciplinæ cognatione sibi junctæ dissociarentur.

16. Diffe-

eam tantum deformare est animus, quam nominavimus loco ultimo, tanquam specie sua maxime splenden-

16. Differunt inter se Philosophi & JCti tractandi modo. Hoc explicatur per partes, concludendo, quinam Jurisconsulti maximam cum veteribus habeant similitudinem.

17. Interpretandi ratio veteribus familiaris fuit in dexteritate formandi genera ex speciebus tam diffusis, & resolvendi ea in suas species, adhibitis ubicunque definitionibus.

18. Justinianus in compilatione Juris sui, quod perfectissimum credidit atque ostentavit, hanc methodum maxime necessariam non observavit. Et Pandectæ nomen Digestorum vix merentur. Unde non mirum, dari ibidem tam multas antinomias: in cujus rei argumentum exempla nonnulla allegantur, *Irnerii*, *Azonis*, *Accursii*, aliorumque Interpretum, qui post Justinianum conciliare ejusmodi controversias tentarunt, inter se ipsos acrem quandoque controversiam moventes.

19. Orta hinc copia Commentariorum innumerabilis, ipsum Jus reddidit perturbatum. Postea vero reflorescentibus literis Juris doctrina obtinuit lucem meliorem, & exponitur Jurisconsultorum præsentis ævi differentia. Optima quæque seligenda sunt. Idem fecit *Duarenus*, aliique. Necesse est ut cum cognitione Juris usum conjungamus. Ob inveteratum, licet depravatum Judiciorum morem legendi sunt Juris studiosis Interpretes.

20. Auctoris cogitationes de Jurisprudentiæ & Forensis Praxeos studio in meliorem formam redigendo. Cujus verba sunt sequentia:

Ac mihi quidem ea de re diu multumque in hac summi hujus Tribunalis luce cogitanti, nulla melior ratio ejus corrigendi, in mentem venit, quam si aut

dentem peramatam à plurimis. Non eſt hodie demum nata hæc deſcriptio, ſed à pluribus annis per (C) otium

ſi aut veteris Juris ac Juſtinianei conjunctis antiquis cujusque gentis de eodem genere, cum æquitate congruentibus, Legibus municipalibus priſtina ſimplicitas reſtituatur, aut ſi id fieri his noſtris moribus non poſſit, tamen ad illam formam, quam proxime Judiciorum ritus, uſusque forenſis revocetur, eodem inſtituto, quod C. Julio Cæſari & Juſtiniano propoſitum fuit, ut Legum multitudine conciſa, ex infinito finitum, ex confuſo concinnum, ex incerto certum, ex obſcuro perſpicuum redderent. Horum alterum ſi fiat, non modo perſuaſum habeo, ſed ex multis juſtis argumentis & vereſimilibus rationibus, quaſi pro certo ſtatuo, nec immortales, innumerabilesque lites, nec inexplicabiles controverſias ſtrophisque & antiſtrophis fallacium hominum maxime callidorum patronorum, & vafrorum cauſidicorum intricatas nos habituros. Unde enim illæ artes protelandarum litium, exceptionum, & dilationum remoræ his poſtremis ſeculis, & inventæ & coacervatæ ſunt? Quare niſi harum verſutiarum radix præcidatur, timendum eſt, ne hæc Jurisprudentia practica, uſusque forenſis, cum maximo & rerum publicarum malo & litigatorum detrimento in meram convertatur ſophiſticam, præſertim cum videamus multos hodie hac veræ Philoſophiæ profeſſione abutentes, & ſanctiſſimam diſciplinam pecuniæ cupiditate polluentes, majorem rationem quæſtus, quam honeſtatis, privatorum commodorum, quam communis utilitatis habere. Hi enim, ut magnas opes ex miſerorum clientum ſudore & ſanguine conſequantur, procliviores ſunt ad lites protrahendas, quam finiendas, cautelarum verſutarum, & artium aucupiorumque forenſium ſtudioſiores, quam Juſtitiæ æquique & boni. Itaque qui ita ſunt affecti, quandoquidem contra boni viri officium faciunt, veteratores, litium concinnatores, rabulæ, moratores, ſophiſtæ, non Juſtitiæ Sacerdotes, æquitatis patroni Juris vel prudentes, vel conſulti, quia iidem viri boni ſocietatis humanæ cupidi, Reipublicæ ſtudioſi, & communis tranquillitatis, ac quietis, ſocietatis humanæ amantes ſint neceſſe eſt. Sed quorſum me cogitatio de moribus noſtrorum pragmaticorum provexit? Ut igitur ad inſtitutum noſtrum redeam, quo in numero Duareni noſtri ſcripta ſint ducenda, ex iisdem illis formulis ſatis aperte perſpici poteſt. Nam quia pro temporum horum ratione, luce Juſtinianeæ legislationi opus eſſe intelligebat: majorem operam in Commenta-


otium conſcripta, typis fortuito vulgata, exoſa tunc iis qui forte ſibi male conſcii fuerunt, multis tamen accepta, jam dudum repetendo typo deſiderata.

En igitur editionem veſte nova indutam, emendatam paſſim, additis etiam hinc inde ſuppetitiis. Scopus fuit Auctoris, monendi omnes qui Jurisprudentiæ operam dare & in eo vitam agere, officiumve aliquod digne obire cupiunt, ne illotis ut ajunt manibus ad eam accedant, veramque non ſimulatam Philoſophiam adquirere ſumma ope & alacriter annitantur.

mentariis ſuis dedit: ut priorem regulam obſervaret, veterum Juris authorum ſimilitudinem imitatione aſſequeretur, quam ut Juſtiniani præſcripto pareret. Itaque eorum & perſpicuitatem & ſimplicitatem & facilitatem, ordinemque & rationem in rerum tractatione, & in boni atque æqui diſputatione & dijudicatione conſectatus eſt. At in partitionibus methodicis, titulorumque expoſitionibus ſe ad poſteriorem illam formulam, ad Juſtiniani Edicta de Paratitlis, & κατ' πόδα interpretatione retulit, quanquam uberius pleniusque hæc genera ſit perſecutus. Summas ſane primorum illorum ab inſtaurato Jure Juſtinianeo in enarrationibus illis ſuis & genere, & ſermonis puritate, & artificio tractationis, & præſtantia Judicii ſuperavit.



APHO-



APHORISMUS I.



On est novum, res valde utiles & maxime necessarias, quia ubivis obviæ, contemtui haberi & pedibus conculcari. Idem fere accidit *Schlendriano.* Quotusquisque enim est, qui audito nomine, sibi non imaginetur rem aliquam pervulgarem, ad artes illiberales potius quam ad studium sapientiæ pertinentem? Et tamen si recte ineas rationem, nihil reperietur utilius quam ut familiarem tibi reddas *Schlendrianum:* Nulla ad societatem inter homines tuendam, locumque aliquem in ea cum honore obtinendum via facilior, quam isto duce magistro. Aqua & ignis in pretio non habentur inter homines: non potest tamen absque iis vita hominum sustentari. Hinc gravissima fuit olim pœna aquæ & ignis interdictio. Simili fere ratione in vita civili, ab omni officio gerendo exclusum putares, qui à *Schlendriani* usu prohiberetur. Hic enim est, qui aptos reddit homines ad officia publica, Ecclesiastica, Politica, Aulica, Forensia, Academica, & reliqua. Modica prudentia regi mundum, dudum exi-

ſtimavere Philoſophi. Hanc prudentiam docet *Schlendrianus.* Quemadmodum ergo animi ingrati foret indicium, ſi quod quisque beneficio *Schlendriani* adeptus eſt, ei acceptum referre erubuerit; Ita rem invidiæ plenam ſaperet, ſi quis doctrina ejus cupidam praxeos forenſis juventutem impertiri nollet. Dandum ergo honori Magiſtri, ut à contemtione, quantum fieri poteſt, liberetur, oſtendendo paucis doctrinam ejus eſſe cum utiliſſimam, tum facilimam, uſumque frequentiſſimum. Quam proinde ſumma ope & alacri ſtudio juvenes accipiant, pulcherrima ſeſe oblectantes ſpecula, poſſe etiam ipſos, his præceptis gnaviter eruditos, ad officia in Republica ſibi credenda, faciliori negotio adſpirare, ſuasque in ea partes feliciter explere.

APHORISMUS II.

Inter cauſas evileſcentis exiſtimationis Schlendriani credo eſſe etiam nominis originem, quam putant, probabiliter quidem, à voce *Schlendern* deſcendere. Id equidem certum eſt, Germanicam Linguam ſubſtantiva, quæ in *ian* exeunt, non habere, vid. Schottelii *Opus de Lingua German. Lib. II. Cap. XI.* **Von der Ableitung/** adeoque adſcititiam eſſe terminationem in *ian*, nam promiſcue dicitur *Schlender* & *Schlendrian*, & terminatio in *ian* facta eſt ad imitationem vocis *Grobian*, vel *Plumprian*: verum id in contem-

tem-

temtum Schlendriani accidisse puto: Et usum vocis *Schlendern* abjectum nimis esse crediderim, quam ut habenda sit pro origine celebris nostri *Schlendriani.* Nam usus popularis est talis, ut indicet incessum hominis incurium, non satis attenti ad causam suæ ambulationis. Hinc dicunt, *er schlendert so mit*, de homine non magnâ industriâ, qui per imperitiam contentus est qualitercunque res à se gerantur, modo aliquo possit esse numero, imitando aliorum agendi, loquendi, scribendiquê modos externos, ita ut inter ceteros numeretur magis, quam habeatur ex iis, qui ad nominis celebritatem adspirare queat. Absit ut putes, amice Lector, me hic descripsisse *Schlendrianum.* Majorem honorem deberi ei credas velim. *Schlendern* & *schlenkern* sunt verba valde affinia, sicuti phrases *Schlendern gehen:* & *Schlenkern gehen:* Ambæ nihil magnifici prædicantes, sed nihil ad *Schlendrianum* pertinentes. Miror, quod contemtores non etiam affinitatem statuant cum voce *Schlaudern*, quæ dicitur de iis, qui agunt dissolutæ, vel cum voce *Schäkern*, quæ indicat gesticulationes ebriorum more lascivientes: est enim ab Hebræo vocabulo *Schâcker*, quod significat ebrium. Populariter usurpatur de iis, qui asinorum vel juvencorum more petulanter colluctantur. Si quis formaret substantiva *Schlenkrian*, *Schlaudrian*, *Schakrian*, per me liceret, modo fiat sine detrimento nostri *Schlendriani.*

Spreta itaque origine à voce *Schlendern*, putarem derivandam eſſe vocem *Schlendrian* à primitivo germanico *Schlau*; Quod denotat ſollicitum & providum, vide des *Spaten*. (*Stilero* erat nomen iſti viro celebri & in excolenda Lingua vernacula admodum verſato) Teutſchen Sprach-Schatz voce *Schlendern*; quam ille etiam deducit à voce *Schlau*; quod ſuo loco relinquo, ſed *Schlendrianum* omnino à *Schlau* derivari exiſtimo. Id enim cum ſignificatione optime convenit. Non vero cum iſto Auctore facio, quod *Schlendrianum* dicat ibidem hominem indoctum, inertem, & extendi, ait, vocem *Schlendriani* ad Notarios (omiſit Auctor reliquos forenſes Practicos) imperitos, inſcios, quos vulgo *Formularios* & *Formulariſtas* appellant. Hic enim vocabuli uſus cum origine *Schlau* minime convenit: contraria enim ſunt, caute agere & ſollicite, & agere negligenter atque imperite: Nimirum virtutis eſt, etiam defectus ſuos obtegere. Itaque ſi quis imperitiam ſuam pallio *Schlendriani* velare ſcit, ita ut pro Philoſopho nihilominus habeatur: quis dubitet hunc ceu hominem cautum, callidum, providum, in honore & exiſtimatione futurum. Talis ergo erit verus & bonus *Schlendrianus*.

Ceterum pace venerabilis Priſciani uti licebit voce *Schlendriani*: Sermonis venuſtatem & laudamus & ſectamur libenter, cedendum tamen eſt tempori in quo barbariſmi & ſolœciſmi turpitudini non ducuntur, & unus-

unusquisque, nescio cujus scholæ discipulus, sufficere credit, si quomodocunque animi sui sensa, audacibus etiam verborum figmentis, proferat, ab altero tamen, cui loquitur, licet ægre satis, intelligi possit. Equidem orationis cultus à reliquis disciplinis adeo non abhorret, ut potius vulgi opinionem, non esse cum foro sociabiles literas humaniores, magno animo damnaverit summus Jurisprudentiæ cultor *H. Grotius Epist. ad Thuanum, & Aubertum Maurerium.** Nisi enim studiorum & orationis elegantia emolliatur reliquarum disciplinarum asperitas, parum sane habent jucunditatis & labori facile succrescit tædium. Non abnuimus defendi posse causas sine eloquentia, & vulgo ita fieri experimur, si tamen claritate & nitore sermonis illustretur causæ justitia & defendatur, potentius longe, etiam Lactantio judice, *Lib. I. de falsa Relig.* influet in animos, & vi sua instructa, & luce orationis ornata. Ornatum dico, non eum, qui in flosculis translationum contortaque constructione à nonnullis inepte quæritur, sed qui consistit in sermonis & puritate & perspicuitate: Orationis, in quam, fluxu, themati accommodato, qui sit neque infra rem, neque supra rem, utor verbis Plinii *Lib. I. Epist. XX.* Cum non minus non servet modum qui adstrictius dicit, quam qui effusius. In rebus quæ ad corporis cultum spectant squalorem devi-

* *In Collectione Epistolarum ad Gallos seorsim edita Jena à Georgio Schubarto Epist. 8. & 16.*

devitare ſolemus. Cur non eandem curam habeamus ſermonis, qui mentem hominis, totumque ejus ingenium exprimit.

Sed quorſum hæc? inquit, Schlendrianus. Abducti vero fuimus contemplatione inertiæ multorum, qui feſtinata ſpe forenſis praxeos licentiam ſibi ſumunt omnem in uſu ſermonis latini, ut putares ſæpius epiſtolas obſcurorum virorum te legere, vel Apuleji aſinum rudentem audire, verendumque ſit prolatum iri aliquando ab iſtiusmodi fori practicis multiloquis, glorioſis, inſulſis, neſcio quæ *cicilendra*, *polindra*, *happalopſides*, *ſancaptides* aliaque nugaciſſima, exemplo coqui Plautini, qui hominum avaritia dicebat ſe factum improbiorem, non ſuopte ingenio *Pſeudol. act. 3. ſcen. 2.* Ita hi imperitia ſtultitiaque hominum, non ſuopte ingenio dicturi ſunt bardos ſe eſſe redditos, ut faſtidiant Hadrianos & Bembos Cardinales, Muretos, Balbinos, Schoros, Cellarios, alioſque recentioris ætatis, qui poſt priſcos eloquentiæ magiſtros elegantiam latini ſermonis juxta puritatem tradiderunt cōſervaruntque. Profecto nihil attinere ad ſe hæc omnia credit Schlendrianus. Is enim officina humaniorum literarum uſpiam inſpectâ, apparatus iſtius præſtantiam laudat, abſque rubore enim id non facere non poteſt, ejus tamen adquirendi curam aliis, quibus magis eſſe otii putat, relinquit. Adeo delicato palato eſſe non expedit. Dicant alii & ſcribant *manutactorie*, pro palpabiliter,

factum

factum furcabile, *patibulare*, pro, furca dignum, *adversarii intentionem conclavare*, pro, impedire *vel* elidere, *Supplica indecreta*, pro, non expedita, infinitasque alias effingant, ausu infelici, loquendi sartagines, an quid etiam amplius? Gratulatur sibi Schlendrianus de locutione nova, quam ad imitationem illico refert. Commoditatem amat, istam vero verborum crucem devitandam esse. Quis enim hanc scholarum anxietatem dudum derelictam sectaretur, dum ad negotia graviora animus est adplicandus. Cum Wezlariæ accessus mihi daretur ad scrinia & libellos celebris cujusdam Procuratoris, cui Leodienses causæ præcipuè erant commendatæ, admirationem subiit stylus latinus plerorumque Advocatorum incultissimus, (de omnibus affirmare religio est, sunt enim Leodii etiam JCti & Advocati eximii, laude dignissimi, paucissimi tamen inter sexcentos) ut in mentem venerit, ob solam barbariem sermonis impeditiorem esse causarum istarum unam, quam ex Germanicis plures, ceteris paribus. Desii autem mirari, certior redditus, ipsam in scribendo indiligentiam non minus nutriri quam stylum curatiorem. Neque etiam huic majorem haberi honorem. Solenne esse Leodiensibus ex gallicis vocabulis facere latina spuria, ex. gr. *intertenere familiam*, & similia innumera, adeo ut si auditores essent Actorum judicialium *Manutii* & *Cellarii* medicina ipsis opus foret ad cohibendum vomi-

(D) tum.

tum. * Si quis diceret: isti homines latine non loquuntur: paratam fore responsionem: imo vero tantum loquuntur quantum est satis ad intelligendum voluntatem. ** Quis ergo non sequatur viam faciliorem, missa illa nimia & misera diligentia.

Utilitatem rei ostendimus: quin igitur & vocem toleremus in civitate latina. Sane commodiori non poterat exprimi *Sollicita rerum externarum in officio quocunque publico observandarum, in verbis, formulis & gestibus imitatio, ad locum qualitercunque sustinendum utilis, doctrina tamen solidioris adjumento non instructa*, quam per vocem *Schlendriani*. Dico *imitationem sollicitam*, hoc enim prædicato distinguitur *Schlendrianus* ab imitatione negligenti & dissoluta. Alius certè est clamor graculi alius lusciniæ cantus. Talem imitationem *Schlendrianum* qui vocaret, honori ejus multum detraheret. Addidi: *non esse instructam doctrina solidioris adjumento*, hanc enim Schlendrianus tanquam rem necessariam ad officium gerendum tantopere non curat, laudat quidem, sed faciliori cursu eandem lauream adquirere se posse confidit.

APHO-

* Vid. Thomasii *Præfat. ad Orationes Academicas, editas Anno 1723.*

** Cicero *Orat. pro Cæcinna, Edit.* Freigii, *Tom. I. pag. 741.*

APHORISMUS III.

Quemadmodum vero hominum plerorumque ingenia ad exemplum Platonis Philoſophi comparata non ſunt, ut eſſe, quam videri malint boni, ſed inverſo ordine, videri malunt plurimi, quam eſſe periti & prudentes. Ita deridendi merito erunt, qui *Schlendriano* bene uti non ſciunt, arripientes quæcunque audiunt & legunt, atque in exemplum trahunt, ipſo *Schlendriano* ineptiores. Cum ita deberent uti, ut ſolida rerum cognitione deſtituti (nam qui hanc poſſident *Schlendriani* ſolatio opus non habent) imperitiam ſuam obtegant, & caute Magiſtrum ſuum in auxilium vocent. Qui incauti ſunt, & inſcitiam produnt, hos *Schlaudrianos* potius quam *Schlendrianos* appellare oportebit. *Schlendrianus* verus ſollicitudinem habet, ut ſub ſpecie *ſtyli Curiæ* ſeſe in altum erigere ſciat, &, ſi nonnunquam ei detrahatur larva, cumprimis ab iis penes quos ſolidior doctrina eſt atque experientia, rurſus cum cautione debita ſubmittat caput. Qui male eo utitur, & pro vera ſapientia aut doctrina coram doctis audet venditare, ſtatim ſuam prodit inertiam.

Verum ut ad fines ſuos redigatur Schlendrianus, dicendum eſt qui diſtet à *Stylo*. Stylus ad conſuetudinem pertinent. Hæc ex diuturnis moribus, conſenſu utentium, cumprimis vero ſuperiorum, comprobatis, naſcitur. Pari ratione fit *ſtylus*. Magis tamen ab uſu

 ſupe-

ſuperiorum quam inferiorum derivandus. Nam quæ inferiores agere conſuevere, fiunt ſæpius contra Leges, talia quoque *ſtyli* nomine, ſed perperam, venditantur. Fundamento igitur certo nititur *ſtylus*, habetque ſuam rationem. Hinc & legem imitatur. Non loquor de *ſtylo* in *Titulis* honorum, quem nonnunquam plumbeum imo cereum eſſe factum oſtendit Eybenius *Diſſertat. de Stylo Curiæ*, ſed generaliter de modo agendi externo in quocunque officio publico, lege expreſſa non præſcripto vel approbato. Certe ſtylum ſuum habent officia Eccleſiaſtica, Aulica, Forenſia, Academica. Habent quoque ſuum *Schlendrianum*. Schlendrianus imitatur ſaltem ſtylum, & quandoque, ut ait Cicero, claudi more pilam tenet. Non à moribus approbatis procedit, ſed ab imitatione aliorum, quam ſi quis ſciat facere caute & cum cura, toleratur inter ceteros, ſi vero negligenter, mulctandus erit, non quia *Schlendrianum* ſecutus, ſed quia male eo eſt uſus: Præſcripta legum tenere, hoc ad *ſtylum* non pertinet, multo minus *ad Schlendrianum*. In legum externa adplicatione, Magiſter *Schlendrianus* de vi & poteſtate legum parum inſtructus, aliquid ſibi ſumit.

Exemplo forenſi res declarari poteſt. Quæ ſint requiſita libelli pro impetrandis appellationis Proceſſibus, legibus eſt præſcriptum. Has leges recte ad facti & perſonarum circumſtantias adplicare, & libel-

libellum bene componere, prudentis eſt Advocati. *Schlendrianus* prudentia efformandi ſuo marte ſcriptum deſtituitur, hinc ad formulas remittit, quas ſi quis ſeligere, & mutatis mutandis, libellum petitorium, quem ſupplicationem vocant, bene conſarcinare ſciat, ita ut futuræ non appareant, poteſt haberi pro perito, quouſque defectus interni obtecti maneant. Si vero quis formula undiquaque arrepta utatur, &, quod fit ſæpenumero, (etiam in ſupremis Judiciis, ſi Procuratores amanuenſibus ſuis curam hanc committunt, quando ipſis commodum non eſt, ut relegant & emendent. Relatum refero à commilitonibus in familiaribus Colloquiis cum Wezlariæ eſſem) male ad circumſtantias facti accommodent, tales credo ab ipſo *Schlendriano* vapulaturos eſſe, quod Magiſtro non didicerint uti cautius.

Aliud exemplum Eccleſiaſticum. Nihil frequentius quam uſus Librorum qui comprehendunt Homilias ſacras. (Libros tales vocant Poſtillas, à dicto antiquorum: Legantur Evangelia, *poſt illa* Homiliæ.) Quod, ſi quis ſatis inſtructum ſemetipſum crediderit, ſi ex homiliis pluribus aliam componere ſciat, poterit forte populariter pro bono Miniſtro Eccleſiæ haberi. Si vero quotannis eadem chorda oberret, vel nonniſi conſcriptas aliquot orationes habeat, quas cujusvis anni vel trienni decurſu in concione declamet, huncce

Schlendrianum inertem mox deprehendunt etiam non literati & despiciunt.

APHORISMUS IV.

Regnat scilicet Schlendrianus in Ecclesiasticis officiis & Politicis, Aulicis, Forensibus, Academicis, & ubi non? Sufficere enim ut faciat quis qualitercunque officium suum, reliqua à fortuna dependere, plerique credunt. Et comprobat rei veritatem atque commoditatem experientia quotidiana. Didicisti nonnihil latini sermonis: annum forte egisti in Academia: ad compendii alicujus Theologici expositionem adnumeratus fuisti: ex homiliis vel impressis vel conscriptis construere orationem sacram & memoriæ mandare consuevisti: Nihil deesse tibi puta ad Officium Ministerii in mediocri loco obtinendum, quam favor eorum qui jus vocandi habent. Si aliquid ex Græca lingua & Hæbrea didiceris, & flosculos Rhetoricos vel etiam Poëticos, & Lemmata dudum decantata intermiscere: tunc sane existimationem præclaræ eruditionis ambies, & obtinebis, ab iis scilicet qui meliora nesciunt. Si inveniatur qui *Schlendriano* detrahere pallium audeat: qui forte dicet: Tu nil nisi vox es: tu barba & pallio tuo confisus, supercilium erige, in eum, ceu contemtorem officii, publicè invehere, & si per inscitiam tuam licet, ad palinodiam adige: si recuset, clamita hæresin. Animadvertes utiliter, *Schlendria-*

dria-

drianum tuum regnaturum. Sed cave ab iis qui ſunt te doctiores, nam accipieris pro merito. Ad *Schlendrianicos* Eccleſiaſticos accedunt quidem, ſed cum exiſtimationis popularis nota meliore, qui credunt præclarè ſe officio fungi & cœtui prodeſſe, ſi compoſitis ad artis Rhetoricæ præcepta ſermonibus, additis ſuopte ingenio floſculis emblematum & lemmatum, eloquentiam ſuam oſtentent. Quaſi vere oratio ſacra ſi iſtiusmodi elegantiis careret, vi ſuâ & ſcopo excideret. Meminiſſe oportet verborum ſapientiæ divinæ Magiſtri ſummi *Matth. XIII. verſ. 52.* junct. *Luc. VI. verſ. 44. 45.* Itali oratores ſacri, niſi in ſuggeſtu; qui ad modum ambulacri factus eſt, decurſitent, geſtus & motus faciei, manuum & totius corporis violentos atque contortos orationi addant, non habentur pro bonis homiletis. Tu ergo ut in numero eſſe & haberi poſſis, imitaberis Schlendrianum Romanum ſi fueris Romæ, ſi alibi, ſicut ibi. Geſtus & elocutio vim orationi addunt. Oratio etiam optime compoſita ſine elocutione & geſtu frigebit, & putares ſtatuam loqui non hominem. Si tamen ex duobus extremis unum eligendum eſſet, mallem ego audire ſtatuam verba ſacra ex bono theſauro cordis ſui proferentem, quam hominem qui tanto cum corporis & vocis motu eloquitur orationem, ut inſanire eum, vel hiſtrionem agere putaturus ſit, qui rei non eſt aſſuetus. Sed meum non eſt conſilium Schlendrianiſmos

mos

mos ſacri ordinis hic depingere & Anagyrim commovere, factum id ſatis in Eraſmi *Encomio Moriæ*, & noviſſime in *Charlataneria Eruditorum*.

APHORISMUS V.

Dicam potius de Schlendriano Politico. In Principum Aulis quoque Schlendrianiſmum regnare experientia docet. Mutatur autem ejusdem forma mutatis perſonis. Et ſicut Aularum viciſſitudines ſunt frequentiores, ita & *Schlendriani*, qui regitur ad exemplum, mores, inclinationes Principis vel Magnatum. Igitur ſi noveris componere tuum corporis habitum, tua verba, tuosque geſtus, ad indolem in Aula regnantem, reliqua à fortuna expecta. Memini viri cujusdam aulici, qui, licet ad officium Præfecti ſuperioris ſe minime ſufficientem ipſe agnoſceret, tamen poſtulare non erubeſcebat, quia ſi dignus eſſet, deberi ſibi ajebat ex merito, ſed ſe ſperare à gratia Principis. Tunc vero fore gratiam, ſi officium conferretur ei qui dignus non eſſet, Schlendrianum facile addiſci poſſe. Neque fuit inutilis ei hæc Philoſophia. Vidimus alibi ſæpius morem per varios geſtus & motus corporis quaſi ad numerum & menſuram diſtinctos ſeſe inclinandi, ſi Princeps in prandio accumbenti ſecum, propinaret. Qui hos geſtus probe ſciebat imitari, cæteraque quæ in Aulis uſu veniunt peragere, cum venerationis externa demonſtratione, atque, ut ait Comi-

Comicus, *utcunque in alto ventus eſt, exin vela vertere*, is pro expertiſſimo aulico habebatur juxta illius temporis praxin. Equidem omnis morum & externorum actuum imitatio non eſt *Schlendrianus*. Nam & prudentiores externis rebus ſeſe conformant, ſed cum moderamine & ſine affectatione, obſervantes ea ratione *Decorum politicum*. Eſt enim hoc, ex definitione celebris noſtri temporis & JCti & Philoſophi, *Imitatio rationalis ex virtute complacentiæ orta, hominum noſtri Status qui pro præcipuis aut præſtantiſſimis haberi ſolent, in actionibus quæ non repugnant regulis univerſalibus honeſti, juſti & decori.* Prudentia ſumma Aulica eſt injurias tolerare & gratias agere. Qui hoc ſciunt, viri ſunt prudentiſſimi. Injuria non cadit in virum ſapientem, dictum eſt Senecæ in Libro *de Conſtantia ſapientis*. *Schlendriani* accipiunt injurias facile. Gloriam in imitatione ſolicita quidem, ſed ſine doctrinæ adjumento, ponunt. Si caute fiat, tolerantur, ſi inepte, periculum exiſtimationis mox experiuntur. *Schlendrianica* imitatio oritur non ex virtute complacentiæ, ſed ex defectu doctrinæ ſolidioris, & opinione, quod ad officium gerendum eâ tantopere non indigeat. Dantur officia politica, etiam eminentiora, quibus fungi poteſt laudabiliter, qui noverit obſervare ſolennia moresque externos, vultum, ubi opus, ad gravitatem componere, ſcientiam negotiorum ſimulare, ignorantiam diligenter & callide te-

gere, reliqua ex præſcriptis ſibi verbis agere. Hos in prudentum numero habendos nemo dubitat. Qui vero ad munus tale obeundum ſufficere exiſtimat qualemcunque rituum notitiam, & gratiam voluntatemque Domini à quo præficitur, is certe, cum doctrinæ ſolidioris inopia mox palam fiat, in externis etiam facile peccabit, & quod Schlendriano magiſtro uſus non fuerit, tardius quam expediverat, dolebit.

In forenſi praxi *Schlendrianus* omnem paginam facere creditur. Factus es dupondius in Academia, vel, ſi mavis, Juſtinianus novus, poſthac titulum Licentiati vel Doctoris periculo tuo retuliſti, formularios Auctores leviter inſpexiſti, ad ſummum, Advocati cujusdam celebris ſcrinia adire, & *bona mixta malis* inſpicere licuit tibi, poſtulabis & flagitabis ut ad numerum recipiaris. Sufficere credes producere ſpecimen qualecunque Academicum pro ſummis in utroque Jure honoribus conſequendis, etiam ab alio, ſi ipſe non audes, elaboratum, vel Theſes abs te collectas, aut thema conſarcinatum. Temporis penuria dabit tibi excuſationem. Nam *L. 11. Cod. de Advoc. diverſ. judicior.* quæ teſtimonia jurata peritiæ juris requirit, dudum abiit in deſuetudinem. Neque meminerunt Dicaſteria ſuprema ſemper in recipiendis Advocatis moniti ſaluberrimi Meviani *part. 1. deciſ. 189.* Ut ergo recipiaris in Advocatorum numerum, fortunæ eſſe beneficium puta, non doctrinæ meritum.

APHO-

APHORISMUS VI.

Schlendrianum forenſem dico, qui in imitatione externarum formularum, cauta tamen & ſolicita, conſiſtit, ita ut defectus doctrinæ ceu internæ qualitatis, quantum fieri poteſt occultetur. Inepti ſunt, non *Schlendriani*, qui hoc neſciunt. Si imperitiam excuſare velint, doctiores non audire, ad aſinorum gregem dimittendi. Regnat inquam *Schlendrianus* in foro tantopere, ut niſi quis audiat & *Schlendrianum* conſulat in principio, nunquam evaſurus ſit practicus. Duo ſunt præcipue, ait Eraſmus in *Encomio Moriæ*, ad cognitionem rerum parandam obſtacula, pudor, qui fumum offundit animo, & metus, qui oſtenſo periculo dehortatur adeundis facinoribus. Quem ita pudor afficit, ne forte à doctioribus corrigatur, vel metus, ne per imperitiam impingat, is ad forenſe officium nunquam erit aptus. Magnifice ab his liberabit *Schlendrianus*. Diſce imitari formulas, generalia methodi præcepta, fac officium qualitercunque, in numerum aliquem relatus, non ejicieris. Et ſic *Schlendriano* tua præcipua accepta feres, cetera quæ abs te non dependent, fortunæ.

Adeo inquam neceſſarius eſt *Schlendrianus*, ut ne Judicum quidem omnium Perſonas exciperem. Quotus quisque enim eſt qui in exordio muneris methodum cauſas decidendi non tentaverit cognoſcere ex

collectionibus Relationum publicè evulgatis, non dubitans fore ut in *Schlendrianum* peccasse credatur, si Relationem juxta capita illa generalia: Quæ *Actio instituta: An probata: An elisa:* Quid *pronunciandum:* non composuerit. Et sane, si ex forma externa, distributionis capitum & verbositate laus relationi deberetur, nihil facilius esse crederem quam Judicis officio fungi. Si & reliqua qualicunque modo sese habeant, si *Cardinalis Tusci Conclusiones*, si *Barbosæ Axiomata* ad manus fuerint, si adhibita vulgata Juris Systemata: Laudem reportabit *Schlendrianus* tuus magis, quam si quis ex peregrinis variis, optimis etiam auctoribus, centonem excerptorum, ad rem nihil facientium consarcinaverit. Huic enim merito objicietur: *Hic non est locus, proin tu alium quæras cui centones farcias.* Ex Epicid. *Act. 3. scen. 4.* Reprehenditur merito genus referendi fluctuans, quod quasi nervis carens, huc & illuc dilabitur, non potest sententiam confirmare, neque sese viriliter expedire. Sunt Judicia, utinam multa non essent, in quibus ne quidem Actorum Relatio fit in scriptis, sed sermone aliquo prævio & perfunctorio recensetur factum, petitum, & exceptio, confestimque ad sententiam fit progressus. Accidunt hæc cumprimis, ubi pauci sunt, quibus Justitiæ administratio est demandata. Ubi ab unius opinione reliqui dependent. Si non placeat litigantibus, licitum est appellare vel Leuterationis remedio

dio

dio uti, & tunc Acta ad Judicem superiorem vel ad Collegium JCtorum transmittuntur. Alibi Judex officium suum non nisi in citandis partibus & terminis præfigendis exercet, sententias, etiam levissimas, extraneis JCtis permittit. Quid facilius quam hunc addiscere *Schlendrianum?* Proinde, si ex iis, quæ plerumque fiunt æstimanda est rerum gerendarum ratio, ex judicibus vero plurimi, qui, si *Schlendrianum* callent, satis prudentes se esse existimant, & pro talibus habentur: Sequitur, quod *Schlendrianus* etiam in Judiciis & personis ipsorum judicum, suum habeat regnum. In Imperiali Camera aliter se rem habere relatum mihi fuit, cum Wetzlariæ praxeos addiscendæ gratia versarer, rigidamque censuram subeundam esse Candidatis Assessoratus, accepi. Exigi quidem methodum externam, sed ab internis præcipue, doctrinâ puta & Judicio Referentis; cujus præcipuum signum dilucida facti enodatio, distincta status controversiæ constitutio, hujusque definitio, laudes attribui specimini, non à conglomeratis allegationibus, quæ, ubi ex facti circumstantiis res decidenda, quod sæpe accidit, inutiles sunt omninò. Non sane quidquid laboriosum & diffusum, idem protinus existimari quoque præclarum. Neminem hic, nisi doctrina solidiori instructus fuerit, periclitari velle, credibile est. Receptos vero ad Assessoratus officium à senioribus Collegiis in ceteris, quæ à Candidato non exiguntur, instrui, ut qui operam ad-

hibere velit, brevi regulas teneat, ad circumſtantias occurrentes cum judicio adplicandas. Eum in finem miſcere in Senatibus plerumque juniores cum ſenioribus, ut tanto facilius negotia expediantur. Nullum enim repertum eſſe qui hic non didicerit. Id quod, credo, in omnibus officiis celebrioribus uſu venit. *Les affaires font les hommes* ajunt gallici magiſtri. Verum eſt axioma, ſed requiritur ſubjecti capacitas, doctrina & judicium. Experientia ſedulaque obſervatio addit firmitatem & perfectionem.

APHORISMUS VII.

Satis dixi de Judicibus. Venio ad partes litigantes, præcipue cauſarum Patronos, nam apud hos præcipue dominatur *Schlendrianus*.

Qui vel pudore vel metu afficitur, ad poſtulandum eſt inhabilis. Nam quæ Cicero monuit, eos qui optime dicunt, quique id facilime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamen non niſi timide ad dicendum accedere, *Lib. 1. de Oratore*, hoc cum reliquis ejus monitis ad conciones Romanas antiquas pertinere exiſtimandum eſt. Remedium ſecurum eſt à *Schlendriano*. Truncum ſane eſſe oporteret, qui qualitercunque intellectis circumſtantiis, primam à ſecunda Inſtantia diſcernere, formalia in legibus & interpretibus inculcata examinare, tum vero evoluto Auctore formulario, recenſere aliquo modo factum, & interpoſito ad ſuum

ſenſum

ſenſum medio concludendi, petitum aliquod efformare neſciret. Epiſtolam non erubeſcere, dixit idem priſcæ eloquentiæ princeps, cum poſtularet ſatis inverecunde laudari à Luccejo *Hiſtorico v. lib. 5. Epiſt. 12.* Supplicam multo minus erubeſcere crediderim, nam relinquitur Judicis diſcretioni, an petito velit annuere. Levius hic eſt periculum, imo nullum. Ad multas commoditates conducit nunquam pudeſcere & nihil non audere. Hoc paucos mortalium intelligere ſcripſit in dicta Panegyri *Eraſmus.* Si denegetur petitum, rurſus inſtabit cauſæ Patronus, rationes denegati petiti divinare tentabit, & ſi audacior eſt, facundiæque alicujus opinionem velut alter Antiphon apud Thucydid. *lib. 8. pag. m. 379.* adeptum ſe crediderit, cum judice expoſtulabit, donec ſpes decollaverit omnis. Ecce *Schlendrianum* commodum & facilem, quo, qui ſcit uti caute, ne per imprudentiam in mulctam incurrat, laudem ſui patrocinii referre poterit egregiam & præmia ampla.

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Omnis labor patronorum forenſium ſit initio, ut proceſſus petiti obtineantur, quia hoc mandanti ſuo tunc temporis eſt utile. De eventu, niſi prematur ab adverſario, ne ſit anxius cauſæ patronus. Hæc cura relinquatur ei qui deciſione magis opus habet. Ille interim ſciet, ſi ita expedit, eam procraſtina-

ſtinare. Fit hoc facili negotio ſi conſpirent & Advocatus & Procurator. Hic ſæpiuſcule illius nutu regitur. Quid quæſo facilius quam petere in principio prorogationes fatalium ad introducendam appellationem. Si cauſæ nullæ ſunt in promtu, allega in poſterum docendas: *Aus künfftig zu beſcheinigenden Urſachen.* Exhibe tandem ſupplicam, & cauſare adjuncta omnia tibi non tranſmiſſa, mox producenda, interim fatalium prorogationem flagita. Satis temporis ſupereſt donec à Judice conſtringaris. In Libello appellationis, cum præfatione veniæ, *ſalvo honore*, Judicem priorem nulliter egiſſe & pronunciaſſe incuſa, gravamina accumula, quorum probatione ad obtinendos proceſſus opus non habes. Scis enim ea in re ſcrupuloſitati non ſtudere Judicem. De eventu tu non eſt reſponſurus. Si proceſſus decreti, deliberabit Advocatus an expediat periculum litis in ſuperiori Judicio maturando ingredi. Hinc, quouſque id videbitur utile, vel donec nuncium inſinuaturum proceſſus, qui etiam tuis ſtudeat commodis, itineris ordo tangat, differatur proceſſuum decretorum expeditio, de quibus tamen adverſarius reddendus certior, oſtentando, ut ajunt, in vitro occluſo palladium, & tranſactionem inſinuando, quam nonnunquam alter, etiam cum diſpendio, novi proceſſus ambagibus præfert. Monitus procurator de redimendis proceſſibus cauſari poterit, veriſſime etiam, moram clientis in erogatione ſumtuum.

tuum. Variæ hinc neque injustæ querelæ Cancellariæ, non esse adeo promtas redemtiones expeditionum, quam fuere decretorum & sententiarum flagitationes. Quodsi Judex inferior ad executionem suæ sententiæ progressurus insinuationem processus decreti extorserit, non deerunt aliæ causæ moram excusantes. Nuncius, qui insinuavit, non revertitur tempore debito, prospiciendum igitur ut petatur fatalis termini reproductionis prorogatio. Qua facta tandem, si expediat magis adversario, ut Actor vel Appellans distineatur, Advocato prudenti suis vicissim utendum cautelis. Expectabit proclama. Unius enim floreni solutione contumacia purgabitur, longe major vero erit temporis usura. Comparebit tandem citatus per Procuratorem, probe memor, facto proclamate sex dies juridicas, h. e. Audientiarum publicarum, relictas esse, usque dum adversus contumacem quidquam decernatur, sufficiet ergo si Procuratori mandatum detur, ut comparere queat in ultimâ, jubeaturque petere dilationem ad exceptiones, quas jam dudum in promtu habere oportebat, intra trium vel quatuor mensium spatium producendas, & has dilationes tam diu repetet, donec præscindatur ulterior dilatio per Judicem. Si dilationi petitæ in Judicio ad excipiendum, duplicandum, vel aliud quod oporteret, agendum, adversarius contradicat, invehaturque in moras tuas, studiose ut ait collectas, non erubesces ex collectaneis phrasium, sin-

(F) gulari

gulari elegantia & frequentia commendabilem, *ohngestanden gegentheiligen ohngütigen Angebens*, vultu composito, in continenti reponere, & petere terminum à Judice. Hæc omnia *Schlendrianus* docet, & in usu esse didici, reprobato quidem à superioribus, qui tamen sit impunitus plerumque: Tenendum tamen inprimis axioma Schlendriani summum: *Agendum caute, ut licet intelligantur artes, vindicare tamen nequeant.* Si metuis in contumaciam aliquid decretum iri, allega te scripsisse vel Principali vel Advocato, *daß ausser Zweiffel aus wichtigen Ursachen die Antwort unterblieben, und stelle weitere dilation Hochrichterlichem Arbitrio anheim.* Vel si urgeat tempus, dic, te accepisse *die rechtliche Nothdurfft müsse erst durchsehen und ad stylum eingerichtet werden: oder daß etwas daran ermangele*, petendo saltem aliquot dies, & sperando ex diebus menses futuros. Interim curam scripti in ordinem redigendi, si opus, & per tuam commoditatem non liceat, alii committe. Ecce rursus elegantem eamque facilem doctrinam *Schlendriani.* Observavi harum rerum praxin in musæis quorundam Dominorum Advocatorum & Procuratorum, quæ invisere mihi licuit, eam non fuisse inutilem. Dubito tamen an eædem cautelæ alibi juvare possint v. gr. in Judiciis Statuum Imperii Provincialibus, ubi conveniunt Judices certis anni temporibus, neque dilationes tales permittuntur. Alius ibidem erit

Schlen-

Schlendrianus qui ex cujusque loci praxi obſervandus cauto practico. Si es callidus, mox intelliges, & imitaberis. Sæpius audivi Wezlarienſes Dnos.Procuratores culpam in Advocatos extraneos rejicere, qui morarum ſint cauſæ. Et verum eſſe plerumque, credo. Hoc ipſum eſt tamen, quod *Schlendrianum* valde juvat, nam ſi fungi licet officio, agendo ſaltem ea quæ Advocatus jubet, facillimum eſt munus Procuratorium. Advocatus ſcribit: à ſententia quadam Judicis inferioris interpoſitam appellationem, ſed per negotia complura aliasve cauſas edi libellum appellationis intra fatalia non poſſe, jubet interim ut petas fatalium prorogationem. Tu de novæ cauſæ patrocinio lætus, trium linearum ſchedulam rogatoriam, ſive ſupplicationem, fieri cura, in qua fatalia prorogari petatur. Et ſufficit ſi tantum porrigatur ſcribæ Judicii, non opus eſſe puta expectare Decretum Judicis, cui de tuis petitionibus moratoriis raro aliquid conſtat. Hoc petitum, licet interim ab Advocato nihil perſcribatur, ſæpius itera, & obſerva ut nunquam tempus brevius petas, rariſſime unius vel aliquot forte dierum. Menſes duo vel plures in ore & calamo habere debes, addito ſemper, quo magis tempori proſpicias, ulteriori ſpatio per modum additamenti: Duorum *vel* trium, trium *vel* quatuor, quatuor *vel* ſex menſium. Puta enim parvi referre an adverſarius aliquot menſium intervallo fruſtretur. Et ſic ſalvando fatalium curſum, probe fun-

 ctus

ctus es officio tuo. Si forte lapſus fueris, negligendo fatalium curſum, refugium eſt ad reſtitutionem in integrum petendam; ex clauſula generali: Si qua mihi juſta cauſa videbitur. Judicem indulgentiorem ſpera, compella, fortiter & audacter ſimul inſta. Interim non negliges Advocatum monere ut tandem neceſſaria ad introducendam appellationem tibi tranſmittat. Is ſi vult, ſuopte ſtudio maturabit. Si mora eſt utilior, mittet tibi libellum in quo facti narratio erit verboſiſſima & in circumſtantiunculis diffuſa, tum vero ſeries gravaminum ad numerum quantum fieri poteſt, aucta: non quæ ex ſententia ipſa reſultant ſua ſponte, ſed quæ catalogus gravaminum adverſus ſententias generalis, (percurrendum eſt iſtud caput Auctoris, quem ad manus habes) ſuggerit, & ad caſum præſentem quoque modo ſunt contorta. Nam eo facilius proceſſus appellationis ſperare licet, cum Judex in tanto volumine, aliquam ſaltem ſpeciem gravaminis ad effectum appellationis habere, eſt crediturus: Examinatum iri omnia non metue, non enim fert temporis, pluriumque cauſarum quotidie occurrentium ratio. Adverſarius Advocatus tanto majori labore habebit opus ad refutationem tui libelli, neque ei, ut viciſſim aliquid mereatur, invidendum, interim appellans tuus temporis beneficio fruitur: Quandoque advocatus ne quidem mittit Procuratori omnia ad libellum neceſſaria. ex. gr. ſententiam præcedentem ad quam ſeſe refert eâ

à qua

à qua appellatio interpoſita fuit, multa enim Advocato negotioſo accidere poſſunt ut aliquid prætermittatur. Sicque Procurator cauſam habebit ulteriorem moram excuſandi & culpa in Advocatum recidet. Salubri conſilio itaque in aliquibus Judiciis conſtitutum, ut appellantes & ipſi & Advocati juramento calumniæ obſtringantur priusquam appellatio admittatur. Veriſſimum enim eſt, moræ in decidendis cauſis primam & ultimam cauſam eſſe Advocatos. Quod jam dudum adverſus dicterium: Spiræ ſpirare lites, non exſpirare, obſervavit piiſſimus JCtus Caſp. Zieglerus *Diſſertat. Themat. III. Cap. 17. §. 6.* Non negaverim aliquando eſſe moram à parte Judicis. Sed ſi prolixitati Advocatorum limites poni poſſent, promtior à Judice foret, credo, deciſio. Optandum itaque foret ut in ſupremis Judiciis præſentes eſſent & jurejurando obſtricti cauſarum ſi non omnium plerarumque ſaltem, Advocati. Non dico eundem cujusque cauſæ Advocatum eſſe debere qui eſt Procurator, hoc enim in tanto litium numero foret impoſſibile. Sed memini me legere, quod antiquiori tempore qui Spiræ habuerit negotia, Spirenſem Advocatum ſibi putaverit eſſe utiliorem. Fuiſſe enim Spirenſes præ aliis celebriores & exercitatiores. Magnam equidem obtineri poſſe maturationem litium, ſi Advocati cauſarum eſſent judicio ſupremo ejusque legibus ſpeciatim devincti, nemo non facile agnoſcet. Sed hac rerum tempeſtate

fruſtra id ſperatur. Extranei etiam Advocati non vulgaris notæ ſeſe exiſtimant, & ſunt inter eos veri Juris Conſulti. Audaciter tamen multi ſupremorum Judiciorum ſtyli peritos ſeſe credunt, hinc cilentes bonos dimittere nolunt. Miniſter itaque Advocati Procurator, proponit ea quæ vult ille. Excuſatior illo, qui totius cauſæ eſt director.

Concluſionem cauſæ evitandi (quæ niſi ſemet ipſos impedirent mutuo litigantes, in graviſſima etiam cauſa fieri poſſet intra triennium) non minores ſunt cautelæ *Schlendrianicæ.* Ubi certus productorum numerus lege eſt præfinitus, uti in Camera Imperiali non licet ultra duplicam, vel in cauſis mandatorum S. C. ultra replicam progredi, & termini ſunt legales plerumque trium Menſium: Imperitus foret *Schlendrianus*, qui ignoraret viam, triplicam vel duplicam etiam ſine venia Judicis protrudendi. Allegabis nova ab adverſario prolata: in protocollo non negliges ad ſupplicam pro venia triplicandi porrectam te referre, petendo ne quidquam ſtatuatur donec ad acta fuerit admiſſa, & ſic quam à Judice expectabas veniam, tibi ipſi præveniendo dabis. Defenſionis favorem omnia ſanare exiſtima. Te non ſatis auditum clama. Si nondum es inſtructus ab Advocato, hujus mora, morbus, occupationes & neſcio quæ excuſationum nomina in protocollo allegandà, ad dilationem proficient. Moritur etiam Advocatus, vel quod frequentius,

patro-

patrocinium vel vere vel ficte renunciavit, novus erat quærendus, hic ex magna chartarum mole informationem capere debet. Procurator si ad causam novus accedat, se pro informatione ex actis, (quam tamen Advocati esse operam agnoscit, sua enim perlustratione protocolli potissimum absolvitur) tribus vel quatuor mensibus opus habere causatur. Et ita primum & ultimum studium *Schlendrianicum* est lucrum quærere temporis. Scis enim decisionem non semper maturari à Judice. Interim tu cum adversario procuratore, qui moræ tuæ contradicit ac si jamjam sententia instaret, strenue & loquaciter colluctaberis. Wetzlariæ Audientiæ publicæ adstare cuique licet. Ego non facile ullam neglexi. Et sæpius risum movit, cum audirem Procuratorem eundem, qui cum altero dilationis ergo bellum verbale habebat, mox in alia causa, imo eâdem, simili modo ab altero excipi. Et sic mutuas fieri objectiones, mutuas vicissim condonationes.

Si scriptum aliquod quod tu putas tuo Principali obesse posse, post longas moras producitur, vel saltem Recessus prolixior paulo ad causæ merita nonnihil compositus, recitatur, *Schlendrianus* docet ut petas rejici ab actis, in eventum reserves responsionem. Ego mecum sæpius reputavi, hanc eventualem reservationem magis nocere, quam prodesse. Dicis gratia tantum peti rejectionem ab actis, cum, quid in meritis contineat, quod etiam responsione habeat opus, nulla

à Pro-

à Procuratore facta sit inquisitio. Judex si videbitur necessarium, tibi responsionem injunget. Vidi ego scripta in Musæis Procuratorum conclusionis ergo producenda, cum relationem Actorum urgeri divinaret Procurator, quibus præter scripti ipsius prolixitatem, magnus adjunctorum numerus erat additus. Quæ licet ad rem faciant nihil, tentare tamen licet periculo mulctæ, à Principali restituendæ. Interim impeditur referens, quia necesse habet farraginem istam perlustrare, & inutilia ab utilibus discernere. Procurator omnia rejicere potest in Advocatum, quia ipsius non est, sexcentarum causarum merita scire, & habere enumerata. Scribendum tamen & Advocato vel Principali, ut te Procuratorem conceptis verbis de statu rei informet, ne adeundo judicem & sollicitando minus gnarus videaris causæ, cui patrocinaris. Ea, quæ tibi scribuntur, eloquere curatissimè. Quæ audis, observa, &, quantum potes, informari stude, principali tuo renuncia, caute tamen, ne nomines vel accuses quenquam. Sic adquires tibi dexteritatis opinionem, gloriamque tuæ sollicitudinis tibi vindicare, & si bene res ceciderit, de palmario victorem monere non erubesces. Si eventus voto tuo non respondeat, verissimam simulque facillimam habebis excusationem, quod per te non steterit, honos tibi nihilo secius habebitur.

Dum fervet conflictus ante conclusionem, docet *Schlendrianus*, sæpius recessus in tuis causis perorare, hoc enim

enim utile eſt non ſolum exiſtimationi, ſed etiam crumenæ. Nam omnia faciunt ad augendam ſummam liquidationis expenſarum. Licet enim moderatio Judicis plerumque tantum beſſem, quandoque vix ſemiſſem relinquat, tamen adeo ſtolidus non eris, ut expectes honorarium poſt finitum proceſſum. Neque hoc cliens bonus, ſi abs te velit rem ſuam curatius agi, patietur. Imo invenies litigantes faciles, præſertim univerſitates, qui tuæ religioni ſummam prænumerando pro expenſis concredent, de qua tu rationem es redditurus. Compenſanda enim eſt, quantum fieri poteſt, inertia eorum, qui te relinquunt, neque negligenda occaſio pinguior. Sæpiſſime expenſæ compenſantur per ſententiam Judicis, tum vero poteris eſſe ſecurus à moderatione tuarum rationum. Ex taxa laborum præſcripta vivere, non eſt viri tuæ conditionis, neque ſecta noſtrorum temporum patitur. Sublatis ſtudiorum præmiis etiam ſtudia peritura, Suilius & Coſutianus cenſuere apud Tacit. *Annal. lib. XI.* cujus orationis integræ probè memento.

Sententiâ adverſus tuum clientem latâ, ſuggerenda remedia commoda. Appellationem ubi fieri poteſt, Leuterationem (remedium valde commodum etiam in aliis Imperii Judiciis quam Saxoniæ Ducum, de cujus abuſu Zieglerus loco ſupra dicto diſſerit) in Integrum Reſtitutionem, Reviſionem. Remedium reſtitutionis eſt utiliſſimum, quia effectum judicati ſuſpendit. Acta accumulari poſſunt, Judex aliis occupatio-

pationibus destinetur. Ex adjunctione plurium personarum pro dijudicandis meritis arrepti remedii, spem novam propositam sustenta. Si jurejurando calumniæ opus est, *daß weder ihr noch eure* Principalen *und deren* Advocaten *von jetzigem neuen Einbringen vorhero einige Wissenschafft gehabt*, Clausula adjecta: *Oder doch solches zu der Sache dienlich zu seyn nicht vermeynet*, conscientiam salvare putabis. Tandem, si ignarus, quid antea in actis fuerit deductum, offerre juramentum procuratorium erubescas, (quotusquisque enim est ex Procuratoribus, qui inter tot causas, quibus patrocinatur, singularum merita scire possit: Advocati hoc est officium, non Procuratoris) observa cautelam *Schlendriani*, ut offeras, *si à Judice admittaris*. Eam tamen ægre à Judicio admitti compertum habeo. Tentare licet, si non succedit, providentia tua saltem ab opinione temere oblati juramenti te liberabit. Si cautiori es conscientia, causam licebit relinquere, & clientem palam deserere, invenietur forte alius facilior.

APHORISMUS VIII.

Petis à *Schlendriano* consilium ad adquirenda tibi multarum causarum patrocinia? Neque hic deerit magister. Cogita Virgilianum illud: *

Tentanda via est qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Idcir-

* Georgic. *lib. 3. vers. 8. seq.*

Idcirco dabis operam ante omnia, ut adquiras qualemcunque de te opinionem ſcientiæ, diligentiæ & obſequioſitatis. Hisce enim parabis tibi apud ſuperiores aditum. Tum vero conciliabis tibi amicos qui te ceu virum talem commendent. Inſignis erit in te virtus & commendabilis, ſi quidquid didiceris vel conjecturis aſſecutus fueris, non effutias nec ſcientem te ſimules. Plus ſcire, quam loqui, ſapientiam eſſe, ex *Epidico* memento. Malè enim accipiuntur ſcioli & plus, quam decet, curioſi & garruli: Memento Horatium *dicti lib. 1. Epiſt.*

Percunctatorem fugito nam garrulus idem eſt,
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.

Invigila, quid rerum agatur in curia, qui proceſſus petantur & decernantur, adverſariæ parti mox denuncia, tuum offer patrocinium, & mitte, quam in promtu habes typis impreſſam formulam mandati procuratorii.

Si obſervaveris, aliquem de tardiori progreſſu ſuæ cauſæ conqueri, patieris libenter, licet ipſe non facias, (id enim honeſtas prohibet) ut in Mandatarium præſentem culpa referatur, quod vel nimium ſit occupatus, vel curatius agere & flagitare judicem non ſoleat, vel aliud quid prætermiſerit, &c. Si res eo deducta eſt, ut novo procuratore ſibi opus eſſe crediderit, tibique formulam mandati tranſmiſerit ſubſcriptam, tu eam monſtrare priori procuratori, & in judi-

cio producere non erubeſces. Ille enim ab iſto cliente alias non ſatis bene honoratus, ut eo carere poſſit, renunciabit haut ægrè ſuo mandato, *will von der Sache abgeſtanden ſeyn.* Et ſic venies tu in poſſeſſionem. Ubi tamen non negligendum, ut acceptes renunciationem, nam fieri poteſt ut Principalis etiam tui pertæſus, vel alia de cauſa priori Procuratori rurſus aliquid agendum committat, & is acceptationem abs te non factam cauſatus patrocinium rurſus occupet.

Initio nullam ſperne, quæcunque cauſa tibi defendenda offeratur, diligentem potius te monſtra in omnibus. Allaborandum enim, ut quacunque die Juridica publicè proponendum habeas aliquid.

In novitiatu tuo videaris ſemper magis, quam ſis, occupatior, & in contradicendo adverſario tuo, ita ut ne facilè quid ſine reſponſione dimittas, promtus.

Ad mulctam dictatam frontem obduratam habe, nam tibi primo, vel ſoli, hoc non accidit, & ſi Principalis tuus te omiſſiorem nolit fieri, ſua ſponte te præſtabit indemnem.

Ne tamen affectes primis annis tui officii multarum cauſarum patrocinia habere, non cuivis contingit hanc adire Corinthum, caſus eſt rarior, & ſi nuditas tua forte detegatur, vel circumſtantiæ mutentur, exiſtimatio tua mox periclitabitur, opportunitati eſt invigilandum, tenenda capillis in fronte occaſio. Ne

qui-

quidem nuncii negligendi, qui ſuo præconio in regionibus diſſitis copiam cauſarum nonnullis conciliarunt. Tu viciſſim eorum lavabis manus, proceſſus decretos tibi amicis nunciis præ aliis inſinuandos concredes, interim prorogatione fatalium ad plures menſes tibi poterit conſuli.

Collectanea tibi para ex formulis variis Receſſuum, quibus pro re nata utaris, nam imitatione aliorum tu excuſaberis, & *Schlendrianum* pro ſtylo commodè venditare poteris. Reproducendi formulas, & quæ ad exceptiones, replicationes, duplicationes producendas ſpectant, præſcriptas habes. Ceteræ obſervantur facile, quibus non agentium, vel non parentium accuſatur contumacia: Dilatiônes poſtulantur: Petitis adverſarii contradicitur: Scriptorum tardius juſto productorum, vel epiſtolarum clientis, remotio ab actis petitur; Et ſi quæ aliæ ad verborum contentiones pertinent.

Ubi majorem numerum cauſarum adquiſiveris, tunc eas, quæ minus utiles videbuntur, aliis commendabis, qui tibi gratiam ſunt habituri. Eſt etiam filius, eſt gener, cui conſulendum.

Si officii tui ratio poſtulat ut pro cujusque judicii more certis diebus publicè compareas, veſtitu diſtincto, prout fieri conſuetum in Camera Imperiali quavis Audientia, tibique id fuerit quandoque incommodum, mitte, quæ habes proponenda, Collegæ alii, cui fortè

gratum accidit, ut exſurgere poſſit & audiri, cum hoc in cauſis ſuis accidat rarius. Tu verò, ſi nominis celebritatem aliquam acquiſieris, (aliud enim decet novitios) tuæ vacabis commoditati. Trecentæ enim poſſunt colligi cauſæ, quibus abſentia excuſetur. Non ſatis commoda uteris valetudine vel aëris intemperiem metuis: Habes expediendos nuncios hac ipſa hora, qui expectare non poſſunt: Es occupatus laboribus, in quibus, ſi hoc ipſo tempore ſeponeres, circuli tui admodum turbarentur: Invitatus es ad prandium, vel amicos invitaſti: venit ad te hac ipſa hora aliquis ex tuis clientibus honoratioribus, cum quo communicandum: Eſt in ædibus opifex, cui diſtinctè monſtrandum, quomodo res tibi neceſſaria ſit perficienda, alioqui erraturus foret cum tuo diſpendio & animi ægritudine. Vel dic, te, ut compareas publicè, diſpoſitum non eſſe. Variandæ autem ſunt excuſationes, & memineris probè proximè præcedentium. Adjectâ excuſationi clauſulâ, quæ ſalutaris dicitur, vel ſaltem per voculam *Deſuper* indicatâ, indulgentiam Judicis tibi promitte. Compertum non habeo, an ad examen deducantur excuſationes, id ſæpenumero audivi, in honore eſſe Procuratores, facilè excuſari, non in ſchola verſari, ſed in curia.

Præjudicia varia collige, licet certus non ſis an ad tuum caſum circumſtantiæ quadrent, tu tamen divinabis & allegabis, opinionemque diligentis viri hac ratio-

ratione adquirere ſtudebis: nullum ex tua allegatione naſcitur tibi periculum.

Cave, ne honorarium in annos plures non ſolutum ſuccreſcat: Monere non deſine: Diligenter ſcribe: Omnis epiſtola ad rationes refertur: Per nuncios liberalitatem excita, cumprimis tuam diligentiam lauda, & laudari jube, marſupium preme, maximè tempore eo, quo tua opera indiget Principalis. Omnia hæc dum incipias gravia ſunt dumque ignores, ubi cognoveris, facilia. *

APHORISMUS IX.

Sed manum de tabula. Retinere debet aliqua pro ſuis arcanis Magiſter cautus: Si uti didiceris his, quæ tradita ſunt, bene tamen, ne artes intelligantur, ſi utilitatem fueris expertus, ſi nomen aliquod adeptus, gratiam habe *Schlendriano.* Si obſervationi diligenti dederis operam & imitationi, plura doceberis tuo Marte, & novas cautelas *Schlendrianicas* invenire ſcies. Pugiles, ſi ictum, quem in animo habent, ab adverſario motu contrario eliſum iri ſentiunt, novum ſolent confeſtim inſtruere. Ita tu, ſi artem unam non ſuccedere intelligis, mox aliam in promtu habere debes. Interim ne commovearis, ſi his præceptis, quæ plurium annorum obſervatione collecta ſunt, hucuſque ad ſecretiorem amicorum uſum ſervata, nunc plures

Neo-

* Terent. *Heautont.*

Neo-practicos, & gratis impertiam. Plura si existimaveris adhuc desiderari, relinquentur omnia ea industriæ tuæ. Interim defectum nonnihil supplere poterunt Colloquia sequentia, ob secretas quas continent instructiones, memoriæ causa, scripto comprehensa. Hæc amici beneficio ad me delata, tecum communicare non dubitavi.

Ceterum ut abstineas à censuris suadeo. Acroamaticas hasce doctrinas si fastidis, si præstantioribus es imbutus, gratulabitur tibi ipse *Schlendrianus* & libenter sua contrahet vela. Si vero te iis usum esse, atque ad eas, ubi consilium te deseruit, confugisse sæpius meministi, noli eas invidere aliis. Si cautè in iis versari nondum didicisti, tua erit culpa. Noli etiam Auctori ob propalationem indignari, cujus scopum si non à primordio, quod tamen facile est, intelligis, adire licebit *Jubentium* & ab eo perdiscere. Hic enim ex familiari cum Auctore conversatione de consilio ejus certus, candidè id exposuit in colloquiis ultimis, suo *Domitio*.



COL-

COLLOQUIUM PRIMUM.

Jubentius : Domitius.

JUb. Unde nobis ades, mi Domiti, ocreatus & ſcuticâ prælongâ armatus ? *Dom.* Ex Atheneo vicino. Perſuaſerunt enim commilitones aliquot, Wetzlariam excurſuri, ut eos comitarer. Feci tanto libentius, quod ſcirem, te veterem amicum ibi commorari, cujus alloquio fruendi futura eſſet occaſio. Equitantem vero ocreatum eſſe oportebat, neque, me hercle! macilentum caballum, brevi forte excoriandum, calamo ſcriptorio incitare poteram. *Jub.* Bene eſt. Salvum te eſſe lætor. Sed videris jam recurrere velle, urbem vix ingreſſus. Eſt hodie dies Audientiæ publicæ, ſimulque publicationis ſententiarum, cui intereſſe oportet, & Patrono meo, Advocato & Procuratori, cujus negotiorum forenſium curam per aliquot annos gero, adſiſtere. Adeo, ut parum otii ad confabulandum mihi ſuperſit, hac, qua veniſti, die. *Dom.* Imo vero revertendum mihi eſt Gieſſam hodie. Revocat enim collegium Juridicum, quod ibi frequento. Adpropinguat ſolſtitium vernale, cœlum eſt ſerenum, adeò ut ſub noctem reverti queam. Intra horæ ſpacium noſtris caballis illuc tranſvehimur, qui ſtrepitu & clangore ſcuticarum, mirum quantum!

ad curſum incitantur. *Jub.* Nunquamne in curſu veſtro veloci ſeſſorum unus alterve una cum equo terram ore momordit? *Dom.* Hoc ſtudioſo non extimeſcendum, ad varios caſus confirmandus eſt animus. *Jub.* Ergo alio die redibis? *Dom.* Id equidem certo affirmare non poſſum. In noſtris Collegiis Praxin Cameralem æque addiſcimus. Cum eſſem ad Academiam dimittendus, mater mea vidua, cum peritis conſilium iniit, quæ inter multas foret utilior? Alii Jenenſem, alii Halenſem, alii Tubingenſem conſuluere. Placuit tandem Gieſſenſis, tanquam Imperiali Cameræ proxima, cujus ſtylus ibi putabatur eſſe magis, quam alibi cognitus. Animus autem mihi eſt operam dare ſtudio forenſi. *Jub.* Ego tamen utile credo tibi futurum, ut quæ in Collegiis audis, per experientiam confirmentur. In Academiis nonniſi ex libris hauriunt Cameralem praxin. Wetzlariæ, quæ in ipſis rerum argumentis obtinent, experimur. Proinde, ut ſæpius huc advoles, ſuadeo. *Dom.* Fiet, ſi modo pecuniæ ad equum conducendum ſuperſint. Sed quoniam abs te didici, fore hodie Audientiam publicam & ſententiarum publicationem, ego, dum commilitones mei urbem tranſcurſitant, temporis lucrum ſum facturus, peto igitur, ut me, ſi licet, in locum Audientiæ deducas. *Jub.* Patent cuique fores, modo ſeſe gerat modeſtè. Sed properandum eſt, cum audita ſit hora poſt meridiem prima.

Dom.

Dom. Siccine ad horas adſtricta eſt iſthæc ſolennitas? *Jub.* Eſt omnino. Sine ordine temporis negotia rectè peragi nequeunt. Nonne & vobis Studioſis hora collegiorum obſervanda? *Dom.* Recte mones, Sed jam expectamus dudum, & nihil aliud video quam viros togatos in conclavi obambulantes? *Jub.* Hi ſunt Procuratores Imperialis Judicii. Expectant autem initium Audientiæ, quod interdum moram habet, ſi horis antemeridianis Collegium Camerale ultra undecimam fuit congregatum. Sed ecce! jam ſubſellia occupant Procuratores, intrat pedellus, præferens ſceptrum judiciale Sereniſſimo Domino Judici, quem ſequuntur ex Dominis Aſſeſſoribus quatuor. *Dom.* Quid ſibi vult baculus iſte ſubniger? *Jub.* Sceptrum eſt judiciale, jurisdictionis ſupremæ ſignum. Ejusmodi ſigna judiciaria antiquiſſima eſſe hiſtoriæ tradunt. Hoc verò ſceptrum ab ipſo Cæſare Maximiliano I. Imperialis Cameræ Conditore geſtum, & Judici Cameræ traditum, conſervatumque fuiſſe, vetus eſt à majoribus accepta traditio. *Dom.* Quare non univerſi Aſſeſſores Audientiæ ſunt præſentes? *Jub.* Hoc antiquo tempore erat neceſſarium cum Audientiæ celebrarentur quotidie, poſteaquam verò animadverſum fuit, negotia judiciaria, actorumque relationes multum impediri tali conſeſſu, externa iſta prolixitas eſt abolita, & compendioſior facta Audientiæ frequentatio. Tu, Domine, hic extra cancellos ſubſiſtes, & cuncta ob-

ſervabis. Mihi locus eſt occupandus poſt ſubſellia, ut ſim Patrono meo ad manus. Finita Audientia me expectabis, & ulterius confabulabimur. *Dom.* Non profectò pœnituit me hic ad tertiam uſque horam adfuiſſe. Sed multa ſunt, quorum explicationem abs te deſidero. Ubi quæſo erit locus noſtræ confabulationis? *Jub.* In muſæo meo, ſi placet, & potero oſtendere nonnulla ipſo opere, quæ verbis exponi non poſſunt, tibi, in hac palæſtra plane hoſpiti. Verum quem audio equitantium & ſcuticarum ſtrepitum? *Dom.* Sunt, ut video, commilitones qui recurrunt Gieſſenam. *Commil.* Heus Domiti, nonne redire vis nobiſcum? *Dom.* Recurrite vos, ſi placet, ego ſatis mature ſum reverſurus. Fruſtra enim hic fuiſſe nolo. *Jub.* Aſſideamus huic menſæ, nam delaſſati ſumus ſtando in Audientia. *Dom.* Niſi abutar favore tuo, ex ſchedula, quæ plumbo annotavi, ordine recitabo. Aliqua, ipſa ratio docet, aliqua opus habent explanatione. Quod Judex & Aſſeſſores caput obtegant, autoritatis gratia fieri intelligo. Quod is, qui prælecturus erat ſententias, (ajebant adſtantes mihi, vocari Protonotarium) inclinet ſe coram Judice, mandatum publicandi nutu accepturus, facile colligo. *Silentium!* quod Pedellus inclamat, baculo menſam feriens, exiſtimavi à ſtrepitu hominum adſtantium originem traxiſſe. Sed ex ſententiis planè nihil aſſequi potui, quid judicatum ſit. *Jub.* Credo, nam hoc

hoc vix ii intelligunt, qui Camerali praxi operam dederunt aliquamdiu. Soli Procuratores, qui causæ inserviunt, vim sententiæ quæ prælegitur, capiunt. Interdum ipsi quoque, si non simul advocando causam defenderunt, explicatione opus habent, si, quæ insit sententiæ vis ac potestas interna, scire expediat. Id enim, nonnisi meritis causæ penitus cognitis, percipitur. Deinde ad stylum sententiarum, quid unaquæque vox denotet, intelligendum, opus est exercitatione, neque confabulatione nostra subitanea exponi poterit. *Dom.* Ergo ea de re imposterum uberiorem expectabo informationem. Audivi mulctari Procuratores in sententiis: mirum tantos viros non agere cautius? *Jub.* Ipsi quidem satis dolent, nomina sua, si mulctantur, publicè exaudiri. Sed hic reniti non licet superioribus. Homines sunt, & tentant pro cliente, quicquid juvare queat, restitutionemque mulctæ expectant. Si amicum habeat quis, à quo moneatur, facilis est modus cavendi, ne omnium oculi in eum qui mulctatur, cum indicatione, ut fieri solet, & nominis, & causæ, convertantur. Sequenti die excussus est rubor omnis. Relatum aliquando memini nescio quo auctore, quod non solum refusionem mulctæ, sed etiam pro reparatione honoris postulare quid liceat, quia propter clientem Procurator mulctatus. Num id fiat, asseverare non audeo, nam talia nobis non patent: Habent sua se-

creta Patroni. Crediderim tamen, si casus existeret, & judicio denunciaretur, animadversionem severiorem insecuturam. Aliquando nulla est Procuratoris culpa, sed clientis vel advocati. *Dom.* Quid verò est, quod aliqui scribunt, dum Protonotarius prælegit sententias? Annotatio hæc quare non fit ab omnibus? *Jub.* Annotantur rubricæ sententiarum, addita vocula aliqua, qua designatur, sententiam esse definitivam, confirmatoriam, reformatoriam, paritoriam, absolutoriam, nòn-devolutivam, interlocutoriam, actoriam, litis contestatoriam, proclama &c. &c. ut ex catalogo quilibet Procurator eas causas, quas ipse tuetur, discernat, & in Cancellaria copiam, si opus, petat. Qui amanuenses Studiosos habent, curam annotationis his committunt. Proinde nostrum est officium, ut catalogum omnium causarum, quibus patroni nostri inserviunt, habeamus. *Dom.* Suntne tam multæ causæ, ut catalogum scripto comprehendere operæ sit pretium? *Jub.* Quidni? Inprimis si aliquis Procuratorum dudum versatus est in celebritate. Ego integrum volumen, quod hic vides, ordine alphabetico conscriptum habeo. *Dom.* Mira res, litigiorum nunquam esse finem. Et si procuratores singuli, quos vidi in subselliis magno numero, tot habent causas, quantus erit numerus causarum omnium? Et quanto opus erit numero Assessorum? *Jub.* Verum est, etiam pauciores Procuratores plus negotii facessere posse quam Assessorum nume-

numerus præſens definire queat. Sciendum tamen, litium multitudinem naſci non ſtudio Procuratorum ſed à cupiditate mandantium. Neque repugno, reperiri inter Advocatos qui lites in quæſtu habent. Procurator merita cauſarum cognita habere non poteſt, hinc bona fide ſuſcipit rem ſibi demandatam. Obſervandum porro, in magna proceſſuum copia, non omnes eſſe pari difficultate. In Catalogo Procuratoris mei ſatis prolixo, (ſunt autem multæ dudum definitæ cauſæ) ſi exceperim viginti circiter, reliquas facilioris eſſe laboris credo. *Dom.* Proinde ſi pauciores ſunt cauſæ majoris momenti, & laboris difficilioris, ex hiſce ſolis expectanda poſtulantibus largitio uberior? A qualitate enim cauſæ æſtimari honoraria æquum videtur. *Jub.* Abſit. Eadem eſt ratio ſive de mille Imperialibus, ſive de centum millibus agatur. A labore, non à pretio cauſæ, honoraria merentur Patroni. Poteſt eſſe cauſa levioris pretii, & magni laboris. Viciſſim alia expeditior, & magnæ æſtimationis. Interim qui magis honorant Patronos, hos honorari & coli præ ceteris, ratio dictitat. *Dom.* An expectanda eſt Procuratori ſolutio honorarii finita cauſa? *Jub.* Fatuus eſſet, qui hoc faceret ſemper. Nam ex vento non vivitur. Sunt clientes, quorum crumena premenda eſt dum dolet, juxta regulam diſcipulorum Hippocratis: Non repetitur datum. Et nemo adeò ineptus eſt, ut rationem inire nequeat pecuniæ prænumera-

meratæ. Idcirco ne defraudetur Procurator cavendum ipsi est à principio. Dantur multi litigantes ingrati, qui credunt, se non debere honorarium, nisi res ex voto succedat. Dantur etiam, à quibus non, nisi precibus aliquid obtinere licet. *Dom.* Memini ex lectionibus Academicis Procuratorem esse litis dominum, annon ergo dirigere poterit processum ad exitum speratum? *Jub.* Næ tu mihi videris quovis Domitio stultior. Dominium litis, si hunc haberet effectum, Procurator adversarius æquè foret litis dominus, & suo muneri non defuturus. Abusus est, si Procurator aliquis suam esse eam autoritatem apud Judicem existimat. Meus sane Patronus valde hoc mihi inculcavit, quem tamen scio esse in celebritate & existimatione *Dom.* An ergo omnes in æquali existimatione non versantur. *Jub.* Hoc à fortuna dependet, si cætera rectè se habeant, studia, sedulitas, prudentia. Nusquam tamen abest, nisi uno ex his deficiente. Quemadmodum verò in omni ordine ingenia hominum, non sunt æqualia, ita & hic usu venit. *Dom.* Quid consilii ergo ut largiora possint esse Procuratoris commoda? *Jub.* Qui advocando etiam laborant, existimationem facilius acquirere possunt, & hic est gradus proximus ad clientes plurimos habendos. Sed cum laboriosum sit nimis officium Advocati, solent plerumque in Procuratorum numerum relati, postulationibus vacare parcius.

Excu-

Excusatio facilis, & vera, quod Procurator variis curis quæ omitti non possunt, ab officio Advocati, quod non nisi paucis causis bene tuendis sufficit, impediatur. Ille plurimarum sollicitudinem habere debet & potest. Tum vero studendum est, ut à Principibus & Statibus Imperii annua impetrentur salaria. Sunt etiam privati litigantes honoratiores, qui ob plures causas, quas habent, annuum salarium promittunt. Sed plerique utuntur Advocatis extraneis. Credunt enim hos esse magis informatos. Et jam in unaquaque Provincia numerus est Advocatorum tantus, ut alter alterum, ceu figulus figilum odio habeant. A meo patrono didici, olim Spiræ præstantissimos totius Germaniæ fuisse Advocatos, ut, qui causam graviorem defendendam habuerit, Spirensem Advocatum sibi quæsiverit. Alii sunt hodie mores, & nimium evulgatæ artes. Deinde, ut antea memini, in tempore est vigilandum, ut sumtibus suppeditent clientes. *Dom.* Nimium deflectimus ab ordine Audientiæ. Quare discesserunt Serenissimus Judex & Assessorum tres, uno remanente & sceptrum occupante. *Jub.* Finita sententiarum publicatione inceperunt, ut audisti, Procuratores causas suas perorare. Huic rei auscultabant olim Judex & omnes Assessores congregati. Cogita, quam tædiosa & somnifera fuerit auscultatio dictantium singulorum in unaquaque causa postulationes, assertiones, contradictiones, *Recessus* vocant, (nos etiam hac voce usi-

tata utemur) quos Notarii calamo excipiebant, ita ut in aliquot mensibus ordo inter Procuratores absolveretur. Fuere tamen longe breviores quam hodie esse solent. Isti vero rei remedium allatum post Recessum Imperii Anno 1654. Neque opus est, ut plures Assessores, quam unus, Audientiæ præsit. Quandoque etiam unus ex Dominis Præsidibus solium occupat loco Domini Judicis. *Dom.* Observavi silentium perpetuum ejus qui Audientiæ præest, nisi quod in juramento præstando Procuratori verbis præierit. *Jub.* Verum est, & nihil habet quam hoc loquendum, qui Audientiæ præsidet. Nisi quod observaverim quandoque, ubi Procuratores, contradicendo sibi invicem, moderationis terminos excederent, Assessorem interloquendo inhibuisse. *Dom.* In nostra patria etiam est illustre Judicium provinciale, ubi tamen audientiæ hujusmodi non frequentantur. An ergo necessaria est Judicio Camerali Audientia? *Jub.* Est omnino ex prima hujus Judicii constitutione, & habet suos usus insignes. Ut taceam, ordinem Procuratorum in Camera magis celebrem reddere, utilitas est hæc inter alias plures, quod non necesse sit partes ad quemcunque actum judicialem citare, sed quicquid fit Procuratore præsente, id vim habet notitiæ legalis. *Dom.* Ergo si absens est Procurator, cessabit iste effectus? *Jub.* Minime. Sufficit enim adesse ejus mandatum generale ad acta productum. Si valetudine vel alia justa causa impediatur, ut inter-

interſit Audientiæ, poterit ex Collegis alium rogare, ut Receſſum ſcripto comprehenſum in ordine recitet. Hinc mandata continent facultatem ſubſtituendi. Subſtitutus autem ordinarius, in mandato nominatus, non ſemper eſt is, qui rogatur, ſæpe alius. Et noſtri muneris eſt plerumque quærere ex Procuratorum præſentium numero aliquem, qui hoc officio libenter defungatur. Seniores autem requirere ſolent juniores, non viciſſim, niſi ſit proximus in ſubſelliis. *Dom.* Nonne hoc foret munus ſubſtituti ordinarii? Ad quid ergo ſubſtitutio in formula mandati? *Jub.* Non ineptè quæris, ſed ita res ſunt comparatæ, ut is, qui ſubſtitutionem in ipſo mandato ſubſcriptione ſua acceptavit, de omnibus cauſæ meritis nihil ſciat, neque ei à Procuratore Principali quicquam aperiatur. Adeo, ut haud raro ſubſtitutus parti adverſæ officio ſuo adſiſtat, ſuæ ſubſtitutionis immemor. Cautus fuit meus Patronus, ne à ſe id fieret. Eum in finem mihi demandatum fuit, catalogum ſubſtitutionum conficere, ne vel utriusque partis Procuratori ignoranter fiat ſubſtitutus, vel adverſariæ partis Procurator ordinarius. Duplex ſubſtitutio hac cautela evitabatur, &c, ſi alterâ pars ordinarium deſideraret patrocinium, dimittebat Patronus meus ſubſtitutionem. *Dom.* Nondum audivi cujus uſus ſit ſubſtitutio. *Jub.* Lege eſt ſancita, ſed uſus non alius, quam ut, exiſtente fortè caſu mortis Procuratoris, ſententia poſſit ferri contra ſubſtitutum, qui ſæ-

penumero se esse substitutum, dudum est oblitus. Nam subscribit mandato substitutus plerumque in Audientiâ cum producendum est mandatum, & mutuos sibi honores eâ in re exhibere solent Procuratores. Plerumque subscribere rogatur tanquam substitutus, junior Procurator, non æquè ex senioribus aliquis à juniore. *Dom.* Ego credidi, ab ipso principali litigante eligi personam substituti? *Jub.* Minime gentium. Hi sæpe nec Procuratorem aliter quam solo nomine norunt, multò minus substitutum. *Dom.* Unde verò hoc accidit? *Jub.* Docebo te hoc, Domini. Procurator Cameræ parare sibi debet amicitiam & fiduciam Advocatorum, cumprimis in Provinciis, ubi regnant litigia. Hi quascunque causas ad hunc deferunt. Si opus est mandato, transmittitur formula mandati typis impressa, & relinquitur plerumque arbitrio Procuratoris electio substituti. Ego diebus Juridicis horâ undecimâ antemeridianâ Cancellariam intrare soleo percontatum, an pro meo Patrono aliquod ex Senatu prodierit decretum, ubi simul rimari studiosè didici, quis alius Procurator processus obtinuerit, tunc sine morâ nunciandum hoc parti adversæ, & offerendum studium atque officium, addendo simul formulam mandati procuratorii, cujus subscriptio petenda. Licita hæc est patrociniorum aucupatio. *Dom.* Sanè non contemnenda hic abs te disco, quæ nunquam in Academiâ audissem. *Jub.* Oblitus eram indicare tibi,

quod

quod aliqui ſubſtituti ab ipſis litigantibus eligantur cum ſpe ſuccedendi ad munus ordinarium, cumprimis hoc fit ab Electoribus & Principibus Imperii. *Dom.* Cum dixeris antea in nonnullis locis regnare litigia, ſcire vellem quænam urbes aut regiones iſto nomine celebrentur? *Jub.* In univerſa Germania non eſt exiguus litigantium numerus. Teſtatur id magna ubique Advocatorum copia, qui omnes de victu parando laborant. Qui praxin incipiunt, neminem ejiciunt foras. Meus Patronus non paucos aliis commendare ſolet. Delectus enim habendus eſt clientum. *Dom.* Audivi aliquando in collegio meo Academico, Leodienſes magnam meſſem præbere Dominis Procuratoribus laborum juxta & præmiorum. Leodienſem patriam Advocatorum eſſe nutriculam. * *Jub.* Ita creditum fuit aliquando, & felicior habebatur Procurator, qui cum Leodienſibus Advocatis literarum commercio correſpondentiam vocant, fruebatur. Meus Patronus nullas habet, neque, credo, habere voluit. Sunt homines generoſi inter Leodienſes ſicut alibi, ſunt plures numero pecuniæ tenaces. Advocati domeſtici non deſinunt ibi fructus, cum ſpes adhuc eſt incremento, decerpere. Wetzlariam plerumque derivantur reliquiæ, quando litigantes ſunt ferè delaſſati. Nimius Advo-

* Africa dicebatur olim cauſidicorum nutricula, Juvenal. *VII. verſ. 149.* deinde Roma, Jac. Gothofred. ad *lib. 1. Cod. Theodoſ. de Studiis Liberal. Urbis Romæ & Conſtantinop. lib. XIV. tit. 9.*

catorum Leodienſium numerus effecit, ut hodie non adeo habeantur fructiferi clientes Leodienſes, quam erant olim. Deinde, quod antea paucis ex ordine Procuratorum erat proprium, cauſarum Leodienſium patrocinium, jam in plures eſt diviſum. *Dom.* Perge quæſo enarrare ea, quæ vobis amanuenſibus incumbunt. Eſt enim mihi conſilium, addicere aliquando meam operam alicui Procuratorum. *Jub.* Præcipua noſtra cura eſſe debet, ea, quæ ab adverſario Procuratore proponuntur, accipere, notare, & in protocollum domeſticum digerere. Ergo, licet Procurator Audientiæ non interſit, noſtra tamen præſentia & cura ſupplere ſolet, quæ ſunt neceſſaria. Intelligis, mi Domiti, quantum ſit poſitum in bono & rerum perito amanuenſi. Is omnium cauſarum curam gerit, monet, ſuggerit, quæ agenda ſint. *Dom.* Quid autem ſibi vult iſta ſæpe repetita obambulatio pedelli, & amanuenſium circumitio. *Jub.* Diſtinctas res quæris: Diſtincta ergò opus reſponſione. Pedellus circumit ſciſcitando, quis ex Procuratoribus aliquid proponendum habeat in debito ordine, & *Receſſus* cujusvis, copiam adverſario Procuratori, cujus nomen ſchedulæ inſcriptum, accipit, traditque. Amanuenſes verò quandoque ipſi tradunt copiam receſſus, quando declinanda eſt alterius contradictio. Ego ſæpius me contuli ex loco meo ordinario, ad illum, qui eſt Procuratori adverſario proximus, huicque receſſum meum non prius tradidi,

didi, quam posteaquam à Patrono meo esset recitando absolutus, & ita excludebam contradictionem. Sunt enim inter Procuratores, qui nihil facile sine contradictione transire patiuntur, & cum tales Recessus contradictorii dictentur Notario, temporis fit jactura interdum, instat sententiarum publicatio, & vigilandum est, ne per istiusmodi contradictionem aliquid scrupuli injiciatur. Nemo facile hanc praxin intelligit, nisi qui in ipsis rerum argumentis versatur. *Dom.* Audivi aliquoties Procuratorem, recitantem suum pensum ex scripto, aliquid corrigi velle aut adponi: Inquit enim Protonotario & Notariis mensæ adsidentibus: *Corrigatur*, vel *addatur*, *si placet.* Putarem hæc domi accurate examinanda fuisse. *Jub.* Debebamus quidem. Sed facile est, ut error aliquis obrepat. Meo Patrono id rarò accidit, quia, licet ego Recessus leviores in Audientia recitandos ab ipso, plerumque componam; (nam qui momenti aliquid habent, ipsis Procuratoribus curæ sunt, & sæpe cum Advocato communicandi, vel ab eo expectandi) securus tamen esse possit de mea industria, & accurate conscripta tabellâ. *Dom.* Qualem mihi nominas tabellam. *Jub.* Tabellam vocamus folium istud unum, vel plura conjuncta, in quo omnes Recessus, in unoquoque ordine & unaquaque Audientia recitandi, Protocollo singularum causarum inscribendi, conscripti sunt, & ad marginem cujusque Recessus nomen Procuratoris adversarii expressum. Dicitur

citur etiam frequentius *Designatio Recessuum.* Hujus tabellæ duo habemus exempla, eadem forma descripta, quæ ad mensam Notariorum per pedellum deferuntur, quorum unum penes Lectores manet, qui sunt Archivarii Camerales, alterum apud Notarios Cancellariæ, & quovis trimestri spacio in unum volumen compinguntur. Alia duo exempla sunt ad manus, quorum unum est Procuratoris proprium, ex quo recitat Recessum viva voce, alterum est scissum in parvas schedulas, cuique causæ proprias, quæ traduntur Procuratoribus adversæ partis. *Dom.* Cujusnam est, recessus istos ad singulas causas digerere. *Jub.* Est Notariorum vel Lectorum. Idque vocant *compleri Protocollum.* Fit hoc, quotiescunque est opus, addita voce *Completum :* & die. Quodsi nihil accesserit novi, indicatur per voculam *visum*, *revisum*, *nihil præterea actum*, & similes. Cura autem, ut inscribantur Protocollo Recessus tempestive, est Procuratorum, quam demandatam nobis, suscipere oportet. Sollicitanda enim est hæc res quotiescunque sententia exoptatur. Et in infinito numero causarum, cum unius hominis non sit labor in complendis Protocollis, sæpius iteranda est monitio. Neque enim sententia ferri potest, nisi ad Acta integra, quorum pars princeps est Protocollum. *Dom.* Multum ergo laboris vestris manibus incumbit, si quemque Recessum quadruplici exemplo describere est necesse. *Jub.* Verum dicis, sed

pro

pro numero negotiorum hæc res non est amanuensis unius. Ego potissima curo, & reliquis pensa distribuo. Nuda describendi opera facile alii mandari potest, sed recessus ipsos quandoque componendi, longè major & præstantior est cura: tum vero Calendarium terminorum legalium vel præfixorum, vel collectorum ordinatè habendi: omnes recessus protocollo majori domestico accuratè inscribendi: & indicem conficiendi: aliquod millia epistolarum, correspondentiæ, ut vocant, & sub finem anni votivarum apprecationum ad clientes exarandi, epistolas ad locum cursus publici deferendi, & pecuniam pro iis exsolvendi. *Dom.* Num verò literarum sumtus, magistro cursus publici deferendi, à procuratore erogandi? *Jub.* Omnino, & hoc onere maximè gravatur officium Procuratorum, cum non sint exigui sumtus, & difficilis à clientibus recuperatio, qui tamen de statu rerum suarum informari volunt. Hinc si prænumerationem postulet Procurator, hoc ei vitio non vertendum. Cura rationum etiam mihi est commissa. *Dom.* Ita, ut audio, non multum otii vobis superest. *Jub.* Certè parum, si negligentes haberi nolimus, & maximè ab Audientiâ post publicationem sententiarum. Nostra tamen versatur utilitas in addiscenda Camerali praxi, & acquirimus notitiam rerum forensium & personarum, facilioremque aliquando aditum ad officium aliquod publicum. Me hic vixisse per annos aliquot, & Patrono meo fuisse à

manibus, sæpè à pedibus, nondum pœnituit. Sed tamen ætas me invitat ad honores alios petendos, & ad uxorem ducendam. *Dom.* Ego igitur, cum hodie fuerit dies Audientiæ & sententiarum publicatio, tibi incommodare amplius nolo, advesperascit jam, & videtur insurgere aliqua tempestas, alia vice ulterius colloquium, ex quo jam doctior Giessenam redeo, expetiturus. *Jub.* Eris mihi semper gratus, & ego tuo desiderio non defuturus. Cave ne equus te ejiciat. *Dom.* Nullum est periculum, modo ego equum portare non debeam, qui sessorem vix gestare posse videtur. *Jub.* Tanto gravius periculum. Ergo feliciter abi, & Vale.

COLLOQUIUM SECUNDUM.

Jubentius: Domitius.

DOm. Salve mi Jubenti, amice charissime! Non potui non ad te reverti, cum à nupera conversatione desiderio magno plura abs te discendi, fuerim inescatus. *Jub.* Salve vicissim, charissime Domiti. Sed die Dominica te non expectassem. *Dom.* Equidem hac die veni, ut pernoctarem Wetzlariæ, quo magis sequente die tota fruerer, si licet, tua instructione. *Jub.* Consilium non est malum, poteris enim

enim craſtino die horis matutinis confluxum ſollicitantium tuis oculis cernere. Sed interim tu ſacris non interfuiſti ? *Dom.* Interfui in hac urbe à prandio. *Jub.* Mirum, ſi tu Studioſus Academicus tantum habuiſti & patientiæ & religionis. *Dom.* Quaſi vero ſtudioſi eſſent ab hac virtute alieni. *Jub.* Certè vos ea deceret maxime. Sed vidimus hic ſæpe ſtudioſos, ædem, cum ſacra celebrarentur, ingreſſos, non auditum, ſed ſpectatum, & poſt geſticulationes aliquas, quibus aliorum auſcultantium attentio turbatur, mox recurrentes ad diverſoria. Neſcio an Jenenſium quorundam Studioſorum mos, quem ego olim ſæpe non absque offenſione vidi, ad vos etiam translatus fuerit. Tu ſi meliora ſequeris, ſi mente es ſaniore, ſenties apud temet ipſum quantæ ſit tibi futurum utilitati. *Dom.* Imo verò juvenilis iſta inſania mihi valde diſplicet, quando à parentum vel præceptorum reprehenſione liberati, hac ſua libertate ad immodeſtiam uſque abutuntur, aliorumque exempla non bona, ſed animadverſione digna, imitantur. Auſcultavi attentè ſermoni ſacro hodierno, nihilque quod offendere poſſet orthodoxos, audivi. Neſcio an fuerit is, cui de doctrina litem motam eſſe percrebuit fama. *Jub.* Fuit, ſed præſtat Domiti, ut ea de re tuum ſuſpendas judicium. Ex uno ſermone Doctor Eccleſiaſticus non dignoſcitur. *Dom.* Credo, ſed eſt apud pleroſque, ut accepi, exiſtimatio viri optima. Nemo ſanè Theolo-

gos publice probatos absque injuria heterodoxiæ eſt inſimulaturus. *Jub.* Mihi quidem hisce de rebus inquirere per alia negotia non licuit, ſed quantum ex ore Procuratoris Patroni mei audivi, huic ille non probatur.. *Dom.* Quamobrem? Putarem ex fructibus dignoſci debere Doctorem? *Jub.* Neſcisne tu quoque fuiſſe inter Doctores reprobatos, in quorum externis moribus nihil fuit reprehenſione dignum? *Dom.* Putasne tu omnes, qui ab aliquibus reprobantur, propterea eſſe habendos pro iis quos conſenſu omnium damnari oporteat? Inverte caſum, agnoſces errorem tuum. Mea ſententia, hoc ipſo, quod inter noſtræ Confeſſionis Theologos in Academiis celebratiſſimos, non eadem hisce de rebus eſt ſententia, certum fit, quod diſputatio tota, ſi fortè aliqua non eſt de ſolis verbis, non ſit de articulis fidei fundamenta attingentibus: Aliâs enim ex unâ aut alterâ parte Theologorum ad officia publica docendi, & in Academiis quidem, non eſſent recepti: Proinde eum qui alterutrius ſententiam laudat, cenſura dignum non eſſe. *Jub.* Ego in hac materia me non ſatis verſatum agnoſco. Proponam, quæ dixiſti data occaſione Procuratori meo, & alia vice tibi reſpondebo. Vocor jam ad diſponendum craſtinas rerum forenſium curas. Proinde craſtino mane ad me redibis, comitaturus me ad curiam. *Dom.* Adero ante horam ſeptimam matutinam, interim vale. *Jub.* Tu quoque nocte quieta fruere.

Dom.

Dom. Adſum ut juſſiſti, & video te, mi Jubenti, occupatiſſimum. Multosque utriusque ſexus homines tuum expectantes auxilium. Credo eſſe hic, cauſas ſuas ſollicitaturos, ſed ex gente ruſticâ vel imſimâ plebe. *Jub.* Sic eſt, & à Patrono meo ad me miſſi, ut, cum ipſe honoratiores aliquos audit, ego his qualecunque largiar ſolatium tradendo iis ſchedulas ſollicitatorias, quibus unusquisque Dn. Judicem, Dnos. Præſides, Dnos. Aſſeſſores aggrediatur quotidie. Nos enim non decet talis importunitas, quæ ruſticitati facilius condonatur. *Dom.* Habetne flagitatio iſta eum effectum ut maturetur negotium. *Jub.* Nequaquam. Interim alia ratione liberari ab hoc genere hominum non poſſumus, qui Procuratorum ædibus quotidie ſunt moleſti, niſi manus eorum ſchedulis impleantur. *Dom.* Multum ergo operæ faceſſunt hæ ſchedulæ. *Jub.* Quidni? Sed tamen ad rationes referunt aliqui hunc laborem. Apud nos amanuenſibus non invidetur, ſi aliquid honorarii dare velint litigantes: Sæpenumero unum exemplum ſchedulæ ſufficit, in quo deſcribendo aliquoties, ipſe cujus cauſa agitur, ſi artis ſcribendi eſt peritus, & leviori ſumptui vel ob indigentiam propriam, vel ob tenacitatem, parcere ſtudet, à meridie eſt occupatus. Sunt enim, qui nihil aliud quam hoc agere poſſunt vel volunt. Sunt alii, etiam Procuratores, qui typis mandari curant ſchedulas ſollicitatorias, quibus uti poſſint ubi opus, & ſic

liberantur amanuenses ab istâ operâ, idque fieri optant qui nobiliori labore, uti ego, occupari possunt. *Dom.* Vellem ut explicares mihi modum schedulas has conficiendi. *Jub.* Rubrica processus primo loco nominari debet, personarum, tum vero petiti, jam pro decreto mox pro sententiâ. Interdum causæ merita potissima, quantum schedula capit, inserenda, sed hoc operæ non est perfunctoriæ. Quibus ampliores sunt facultates, curant ab Advocato etiam speciem facti ex Actis elaborari, cum rationibus sui petiti, eamque typis mandatam distribui. *Dom.* Cujus vero utilitatis facti species à parte conscripta, cum unusquisque eam prout sibi consultum, est elaboraturus, Acta vero Judici cognita esse debeant? *Jub.* Non male quæris, sed accipe informationem. Species facti à partibus vel eorum Advocatis conscribi non debet eum in finem, ut Judex ea utatur loco Actorum judicialium. Deinde male consulturus foret sibi, qui speciem facti concinnaret Actis contrariam, vel insereret eidem quæ in judicio non forent prolata. Talis enim astutia detegeretur confestim, periculo auctoris. Sed cum adsint causæ innumeræ decisionem expectantes, elaboratio exacta speciei facti Actis conformis promovere poterit decisionem causarum ratione triplici. *Unâ*, ut Dominus Judex perspecta causæ cum qualitate, tum gravitate vel levitate, distributionem Actorum sciat dirigere & pro exigentia rei maturare. A mole Actorum non

non ſemper æſtimatur cauſæ gravitas. Sunt Acta magnæ molis, facilioris tamen deciſionis: Sunt alia externa ſpecie paucioribus foliis compoſita, ad decidendum tamen ſatis intricata & difficilia. *Alterâ*, ut in majori Actorum diſtributorum numero, referens, facta forte animi gratia inſpectione ſpeciei facti, ad conferendam eam cum Actis adducatur, & ſi res deprehendatur expeditior, elaborationem Actorum ſuſcipiat promtius. *Tertiâ*, & potiſſima, ut in ipſa relatione Actorum, Domini Aſſeſſores qui ei interſunt, de meritis aliquo modo informentur, ad quæ in recenſione Actorum animum advertere queant. Hoc voluit *Receſſus Viſitat. noviſſ. §. 71.* Proinde concinnatio ſpeciei facti eſt utrique parti libera, & quod ab una parte omiſſum, altera, ſi ad rem facere crediderit, non negliget. Laboris itaque eſt non perfunctorii ſpeciem facti bene conſcribere. *Dom.* Omnia bene intelligo, ſed revertor ad ſchedulas ſollicitatorias. Quare in hac ſchedulâ additum eſt: ***Summum in mora periculum:*** ***Jub.*** Equidem hoc partes addi volunt, ut forte decretum vel ſententia maturetur, fruſtra tamen hoc ſperatur, neque Dni. Aſſeſſores ideo citius cauſam referunt, neque eſſe tale periculum ſtatim ideo credunt, quod ſchedula hoc dicat. *Dom.* Explica mihi has abbreviaturas id ſchedulis ***Mdti. S.C. C.C. Cit. Jub.*** Significatur eſſe cauſam ***Mandati Sine Clauſula*** vel ***Cum Clauſula*** vel ***Citationis:*** ***Dom.*** Qualem mihi nomi-

nas

nas *Clausulam*. *Jub.* Quæris rem, quam credo superare adhuc captum tuum. Clausula intelligitur justificatoria facti ob quod Mandatum fuit impetratum. Sed hæc res uberiore opus habet explicatione quam ut hoc loco & tempore fieri queat, Commentarii ad Processum Cameralem hic sunt adeundi, inter omnes præcipuus Blumii. Is enim nobis jam dudum omnem fecit paginam, nescio an etiam aliis. *Dom.* Quidnam significat in schedulâ hæc abbreviatio *S. Q.* forte denotatur *Senatus Consultum Quirinianum*. *Jub.* Ha, ha, hæ! Quale tu mihi hîc Senatus Consultum fingis. *Dom.* Audivi à commilitonibus meis Academicis aliquando hoc nominari. *Jub.* Nisi mihi verba das, crediderim lusus gratiâ aliquem ineptivisse, quod seriò accipere non oportet. Abbreviatio *S. Q.* Rubricam Actorum & Processus *Simplicis Querelæ* denotat, cujus explicatio ex commentariis petenda, nam tu, si pateris tibi imponi à commilitonibus, ut *SCtum Quirinianum* aliquod credas, quovis dupondio es imperitior. *Dom.* Gratias tibi habeo pro correctione meæ ignorantiæ, neque mihi posthac verba dari patiar. *Jub.* Eamus jam in publicum, audita enim est hora septima, & videbis undiquaque sollicitantes. *Dom.* Ecce hic virum ornatissimè vestitum, comitantem fœminam non minus comtam, si esset meridies, putarem esse conjuges ad convivium nuptiale euntes. *Jub.* Ita decet incedere Procuratores si ad Dn. Judicem, Dnos.

Dnos. Præsides & Assessores clientes suos deducere velint, ut copiam habeant sua desideria coram exponendi. Ecce hic ex Dnis. Procuratoribus intrat, stipatus aliquot civibus ex universitate. *Dom.* Fitne hoc omnibus clientibus qui præsentes sunt & quotidie? *Jub.* Absit, quis enim hoc pati posset. Sufficit ut fiat semel vel iterum, neque ut gratis hac opera defungantur Procuratores, clientes boni desiderant. Hodie accidit hic, cras alius. Et non mediocris est patientiæ clientes non modo domi audire de propriis rebus & statu quæstionis sat male nonnunquam instructos, & confusa narrantes, sed etiam vestiri, deinde palliatum per plateas obamulare, quandoque tempestate ventosa quæ comam bene dispositam & pulvere farinaceo dealbatam disjiciat: *Dom.* Eheu! quantus hominum confluxus hic est in anticamera Dni. Judicis. Horumne omnium causæ hodie tractabuntur? *Jub.* Paucissimorum quidem fieri potest, sed solatium qualecunque habent clientes & ipsimet Procuratores, si patienter audiuntur. *Dom.* Estne satis temporis ut etiam Dnos. Præsides & Assessores ante consilium accedant hi omnes. *Jub.* Non est ut intelligis, neque hoc quærunt. Alii quotidie hic se sistunt, ut solo aspectu meminerit ipsorum Dnus. Judex, si jam aliquoties alloquendi eum data fuit occasio. Alii alio die conveniunt Dnos. Præsides. Rarius patiuntur alloquium Dni. Assessores, neque iis incommodare licet adeo frequenter. His

enim laborum ratio est habenda. Pergamus ad curiam, videbis hic varii generis sollicitantes. *Dom.* Video, & ecce! hic aliquis Dno. Assessori in transitu schedulam suam obtrudit. *Jub.* Summa est quandoque istorum hominum rusticitas, & putant, nisi omnibus schedula tradatur, peccatum aliquid fore. Observa, Domiti, aliquos occupare certum locum à quo dimoveri se non patiuntur, non magis quam sutores in nundinis. Aliquos schedulas suas magnis literis, alios coloribus, alios ligulis sericis, ornare. *Dom.* Quem in finem? *Jub.* Credo putare eos quod hac ratione memoria causæ firmior sit futura. *Dom.* Si quotidie tot schedulas accipiunt Dni. Præsides & Dni. Assessores singuli, putarem oblivisci eos causarum quæ in tanto numero celeriorem desiderant expeditionem. *Jub.* Credo id fieri nonnunquam, proinde ut audio Dn. Judex & Dni. Præsides notare solent eas quæ maturatione opus habent. *Dom.* Ita forte etiam bibliopola suum locum tuetur in vestibulo Curiæ? *Jub.* Equidem hic non est hic sollicitatum, sed mercatum: Et commoda est, ubi multi concurrunt literati, occasio cum emtoribus, tum venditori. *Dom.* Video etiam Procuratores hic esse sollicitantes. *Jub.* Utique, si fortè brevibus verbis sese expedire possint. Et observa hos non in turba stare, sed locum commodum, ubi alloquio frui possint, occupare, omnes ut decet palliatos. *Dom.* Introierunt jam Senatores sua quis-

quisque triclinia, nihil hic obſervandum ſupereſſe credo. Quid ceſſamus diſcedere domum? *Jub.* Speculatus ſum ego adhuc, in quo triclinio qui, & quanto numero Aſſeſſores, congregarentur. *Dom.* Quem in finem? *Jub.* Tibi hoc explicatu difficilè, neque omnia pandi debent. *Dom.* Videris hic eſſe invidioſior. *Jub.* Minimè, ſed quia longiori explanatione opus foret quam tu pati poſſis vel intelligere. Abeamus jam domum, horâ undecimâ redituri. *Dom.* Dic mihi jam qua ratione unus Dn. Judex & Præſides duo Senatibus pluribus præeſſe poſſint. *Jub.* De officio ipſo loquitur ordinatio. In Senatu quomodo ſeſe gerant, ego ſanè ſcire non poſſum. Hoc obſervavi, quod non ſemper in eodem verſentur Senatu, ſed in hoc jam, mox in illo, adeo ut nulla dies tranſeat in qua Dn. Judex non ierit omnes Senatus viſitatum. Ipſe enim quid in unoquoque agatur ſcire debet, & credo inter ipſum & Dnos. Præſides conveniri, ubi Judicis, vel unius ex ipſis neceſſaria ſit præſentia. *Dom.* Licetne in Muſæo tuo bibliotheculam tuam inſpicere. *Jub.* Licet, nihil magnopere comparavi mihi, cum hic loci manere perpetuò non ſit mei conſilii. Patronus meus Procurator inſtructiſſimam habet Bibliothecam, quâ ſi opus habeo liberè utor. *Dom.* Non parvi habendum eſt hoc beneficium. Qualis hic per magnus liber? vidi tales in ædibus argentariorum mercatorum. *Jub.* Externâ formâ talis eſt, ſed intus eſt Protocollum

domesticum mei Procuratoris. Hic meus labor præcipuus, ut ordine omnes Recessus inscribantur à quavis Audientia, cum à meo, tum ab adversæ partis Procuratore prolati, nomina causarum, deinde pro evolutione promta in indicem Alphabethicum, indicato folio cujusque Recessus, referuntur, signatum frustulis membranæ, ut scis libros Pandectarum signari. *Dom.* Hoc mihi foret incommodum, semper novum evolvere folium, præstare puto ut causæ uniuscujusque Recessus Protocollares separatim conscriberentur in una serie. *Jub.* Faciunt id aliqui. Sed duplicatus foret labor, cum nihilominus liber talis universalis faciendus foret, quia facilius est ut separata charta deperdatur, quam tantæ molis liber. Ego credo in nostro musæo diligentius quam in multis aliis res ordinatas esse, & vidi apud aliquos mei ordinis amanuenses res multò confusiores, ut necesse sit ad Acta in Lectoria Camerali, h. e. Archivo, existentia, recurrere. *Dom.* Fasciculos Actorum in hoc musæo plures video quam capere queat. *Jub.* Acta integra ne quidem adsunt, nisi in paucis causis, præcipue verò in iis quas Patronus meus advocando defendit; *Dom.* Unde ergo ista fasciculorum moles? *Jub.* Præter fragmenta quædam Actorum, sunt maximam partem Epistolæ litigantium vel Advocatorum & ad eos perscriptarum exempla. Nec non rationes expositarum pecuniarum, debiti & accepti honorarii. *Dom.* Si de exponendis pecuniis audio,

dura

dura mihi videtur conditio Procuratorum. *Jub.* Credo, ut adeo sit mirum, esse quotidie, qui titulo Advocati vix biennio otiose gesto, ad numerum recipi velint. Falluntur qui, rerum non experti, credunt, ex Processibus copiosam honorariorum messem ad Procuratores redire. Sane si litigantes omnes ad elargiendam pecuniam essent adeo alacres, quam sunt ad Procuratorum officium flagitandum, non adeo onerosum foret, prout revera est, istud munus. Inolevit mos injustissimus, ut posteaquam aliquid arrhæ loco dederint, à Procuratore erogari pecunias exoptent, reddituri, si finis litis ex voto ceciderit. Ubi decollavit spes, nihil se debere credant. Patronus meus multas rationes habet pecuniarum expositarum, recuperandarum vero spem parvam, & hæredibus forte relicturus. *Dom.* Credideram annuis salariis resarciri hæc omnia, quorum plurima habere Dnos. Procuratores accepi. *Jub.* Annua promissa diceres potius, quam præstita. Numerantur equidem pauci qui promissorum sint cum effectu memores. Vitium est commune & vetus jam „ olim à *Seneca* notatum, quod pauci intelligant, tan„ tum se gratiæ demere, quantum moræ adjiciunt. „ In tædium adduci animum, dum expectatur nimium „ beneficium. Omnem benignitatem properare, & „ proprium esse libenter faciendis, cito facere. Qui „ tarde & diem de die extrahendo profuit, non ex ani„ mo fecisse. Ita duas res maximas perdidisse, & tem-

„ pus, & argumentum amicæ voluntatis. Sint aliqui æquiores, hi ſane tantum non præſtant, quantum ad ſuſtentationem eſt neceſſarium. Sint etiam aliqui ex Dnis. Procuratoribus (paucos credo fore) ea in re feliciores, ad fortuita hoc referendum erit, nec invidendum. Ego de eo quod paſſim fit, inſtruere te volui, & ab ambiendo hoc officio oneroſo, niſi facultates habeas ad prærogandas pecunias, & ſimul patientiam ad expectandum obfirmatam, dehortari. *Dom.* Non ergo deberent admitti Advocati & Procuratores tanto numero? *Jub.* Id equidem exoptatum ſæpe fuit: Quis verò prohibere poterit, ne, qui ſtudiis Jurisprudentiæ operam dederit, exinde victum quærat. Ad Judicum officia non cuivis datur acceſſus. Ergo poſtulare eſt liberum. Hinc Advocatorum in numerum receptorum plures eſſe ſolent quam Procuratorum. Horum numerus legibus eſt definitus. Pauciores tamen eſſe non eſt vetitum. Unusquisque ſuo periculo admitti petit, & admiſſus, tentamine eruditionis prævio, ſpe qualicunque fretus quod quælibet terre alat artificem, officium gerit. *Dom.* Intelligo jam iſtius officii difficultatem & onera, neque aliis, quam qui nominis famam tractu temporis obtinuerunt, eſſe fructuoſum. Licetne ſciſcitari quantum ſalarii annui unusquisque promittere ſibi queat. *Jub.* Promittere ſibi quisquis poteſt decem mille ſeſtertia & ultra. An vero accepturus ſit, ab ipſius ſpe & promiſſione non

non dependet ſane. *Dom.* Videris jam velle jocari mecum. *Jub.* Equidem curioſitas tua inepta talem exigebat reſponſionem. Credidiſſem didiciſſe te ex colloquio præcedente, certum ſalarii quantum annuum non dari, ſed prout fors ceciderit. In honore eſt officium Dnrum. Advocatorum & Procuratorum Cameræ, quibus ſi præmium dignitatis juxta & laborum tribuatur, non eſt injuſtum neque invidendum. Experimur nos veriſſimum & dolemus, quod litigantibus permultis, eorumque Advocatis, prima ultimaque ſit cura ut Proceſſus in Camera pendeat. Et niſi pars altera urgeat finem, patiantur pendere in perpetuum. Interim de ſalario nulla mentio. Volunt tamen fieri certiores quæ in judicio agantur. Quæ opera non levem nobis faceſſit moleſtiam. Tandem ſi præter ea, quæ certam habent in legibus æſtimationem, pro annuis laboribus cujusvis cauſæ, in agendo, movendo, promovendo, invigilando, ſollicitando, ſcribendo & reſcribendo, quatuor vel ſex imperiales deſignationi expenſarum inſerantur, eaque ad moderationem perveniat, quandoque partem vix quartam relinqui experimur. Lex Viſitationis noviſſima prohibuit quidem eo nomine quidquam petere, quia ordo expediendorum Proceſſuum eſſet præſcriptus. Putamus tamen nos, (neſcio, an ſatis ad mentem legislatorum) hanc legem ad alia tempora, & numerum DD. Aſſeſſorum majorem, & maturiorem Proceſſuum definitionem reſpicere. Certe

prout

prout nunc res ſeſe habent, in tanto cauſarum numero, definitionum verò, cumprimis in cauſis arduis, mora, importunitati ſollicitantium datur nonnihil. Qui non ſollicitat, deſeruiſſe cauſam creditur. *Dom.* Probe rem teneo. De moderatione, cujus ſupra mentionem injiciebas, nondum ſatis ſum edoctus; an Advocatis & Procuratoribus nihil pro labore expectandum ſit præter ſummam in moderatione expreſſam. *Jub.* Hoc tu experire ſi placet, ſpondeo, deventurum te mox, ut eſt in proverbio, Leberide nudiorem. Eſurire ſi nolis Advocatus & Procurator, accipere diſces à clientibus, cum tua opera habent opus. Non fit expenſarum moderatio, niſi ubi victori adjudicantur à parte victa refundendæ. Ergo moderationis finis eſt is, ut ſciatur quantum, quod recuperat victor. Credisne, aliquem adeo futurum incivilem, ut, quæ cauſæ patrono interim honorarii loco dedit, repetere ſit auſurus. Modum excedere quemlibet ſua prohibet religio. Auditur jam hora undecima, quâ redire me oportet ad fores Cancellariæ quæſitum, an aliquid decretorum adſit ad ſupplicas, quas præteritis diebus & hodie, ut vidiſti, Notario ordinario, quem hebdomadarium vocant, Protocollo rerum exhibitarum inſcribendas, & ad Senatum deferendas tradidi. *Dom.* Abeamus ergo. *Jub.* Vides hic nomina Procuratorum præſcripta, quibus decreta hodie data fuere in Senatibus. Hem! adſunt pro meo aliqua, quæ jam ſum petiturus.

Dom.

Dom. Utinam ſint tibi exoptata! *Jub.* Unum ſaltim ſatisfacit, cetera ſunt dilatoria. *Dom.* Ego nullum video Decretum in Supplica de quo adeo lætari videris. *Jub.* Unum verbulum, quod hic vides *Erkannt, in Conſilio*, addito die hodierno, ſufficit: Hoc enim, toti petito Judicem annuiſſe, indicatur, & eſt Mandatum Sine Clauſula à cliente valde deſideratum. *Dom.* Quænam utilitas à Mandato S. C.? Solentne obedire confeſtim, quibus ita præcipitur? *Jub.* Debebant vero. Si non fiat, habemus noſtras formulas, quibus Exceptionibus contradicimus, petendo Mandatum arctius cum declaratione in pœnam. Quæ licet non decernantur illico à Judice, nihilominus uſitatum ſequimur ſtylum. Deinde ea eſt utilitas, quod Proceſſus Mandati S. C. ejus ſit naturæ, ut præ aliis cauſis maturatio deciſionis juxta legem Judicii ſupremi expectetur. Perſæpe quidem eadem morarum fata habent iſti Proceſſus ut alii, interim Procuratoribus ſufficit, ſi functi ſint officio ſuo. *Dom.* Dicebas reliqua Decreta eſſe dilatoria.? *Jub.* Sunt aliqua prælocutoria, ad aliquid ulterius producendum, aliqua literas informatorias à Judice inferiore requirunt, qui modus hac tempeſtate plus quam olim frequens, cumprimis in Appellationis Proceſſibus, Procuratoribus non ſatis placet. *Dom.* Quamobrem? *Jub.* Una eſt ratio, quod Appellans non expectare poſſit literas à Judice Appellationi faventes, altera, quod Judex inferior

pronus ſit ad executionem, ſi animadvertat ſuperiorem Judicem de Appellationis neceſſitate dubitare. Sed huic rei eſt remedium: craſtino die petendum, ut annectatur *temporalis inhibitio.* Tertia, quod ſi hac ratione cauſæ terminentur, non multum habeant agendum Procuratores: ut taceam ſumtus Appellanti erogandos pro literis informatoriis, & Advocato pro elaborandis refutatoriis. *Dom.* Certusne es de *temporali inhibitione?* *Jub.* Experiri licet. Si denegatur, apud Judicem inferiorem tentandum, annon mora imponi poſſit. Niſi partis ſtudio ferveat, ipſis literis ſuperioris pro informatione, quibus ſuſpendi ſaltem Appellationis Proceſſus videt, ineſſe eam vim arbitrabitur, ut, donec de ſuperioris ulteriori Decreto conſtet, ab executione abſtineat. Ecce aliud Decretum in quo Patronus meus uno floreno mulctatur, ob non additam ſupplicæ ſententiam inſtantiæ primæ, cujus illa à quâ appellavit eſt confirmatoria. Sanè defectum hunc ſcivimus, ſed reſtituet hunc florenum cliens, qui cum reliquis neceſſariis tranſmitti non fecit: Interim exhibenda fuit ſupplica, ne fatalia laberentur, neque inutilis eſt mora, quia culpa facile in Advocatum rejici poteſt, interim favore Appellationis fatalium prorogatio obtinetur. *Dom.* Cujusnam manu ſcribuntur hæc decreta, credo DD. Aſſeſſorum & Referentium? *Jub.* Minimè, ſed Notariorum Cameræ. *Dom.* Suntne hi ſcribæ Judicii ordinarii? Nulline Secretarii? *Jub.* Olim

alii

alii erant Secretarii, alii Notarii, ſed jam dudum hæc officia ſunt conflata, ita ut Notariorum Cameræ munus ſit idem, quod Secretariorum. Quemadmodum autem in aliis Dicaſteriis varii ſunt Secretariorum ordines, ita apud nos Notariorum. Alii Protonotarii, quibus incumbit expeditio Proceſſuum decretorum, ſententiarum publicatio & in Audientia publica unus ex Protonotariis, quem ordo tangit, ad menſam Notariorum ſupremo loco ſedet. Tum etiam Protocollorum Pleni cura. Alii ſunt Notarii ſpeciatim ita ſic dicti, qui vel in Senatibus deliberationes audiunt, vota & decreta protocollo inſerunt, vel in Cancellaria ſupplicationes recipiunt, in protocollum rerum exhibitarum referunt, addito die & anno: Easque diſtribuendas quotidie ad Dn. Judicem deferunt. Hi inter ſe quavis ſeptimana officia partiuntur & ideo vocantur hebdomadarii, omnibus verò præeſt Dn. Cancellariæ Præfectus, qui munera obeunda Cancellariæ Perſonis omnibus diſtribuit, eosque ad officia facienda, ubi opus admonet, & corrigit. *Dom.* Quare nominaſti Notarios ſpeciatim ita dictos? *Jub.* Ad differentiam reliquorum, Lectorum, ſive Archivariorum, qui etiam Notarii creati ſunt, quorum tamen omnium munus eſt neque in Cancellaria neque in Senatibus. Sunt etiam inter reliquas perſonas Cancellariæ aliqui Notarii creati. Poteſt aliquis eſſe Notarius Cameræ ſive Secretarius, qui tamen non eſt Notarius per Comi-

tem Palatinum creatus. Horum officium non eſt, niſi ſint requiſiti. Cameræ Notariorum eſt conſtans, ſcit unusquisque, quid ſibi quotidie agendum incumbat. *Dom.* Audivi aliquando denominationem *Notarii ſimplicis* quam intelligere vellem? *Jub.* Dicitur *Notarius ſimplex*, qui à Comite Palatino eſt creatus & in matriculam Notariorum Cameralem non relatus. Hoc enim fieri non ſolet, niſi prævio examine accuratiori doctrinæ, in tali officio probatæ per exercitationem. Fit autem examen per duos ex Dnis. Aſſeſſoribus. *Dom.* Ergo in numeros habet Camera Imperialis Notarios, quotusquisque enim eſt qui ſtudiis ſuis confiſus, ad matriculam referri non exoptet. *Jub.* Videris tu mihi exiſtimare quod Notarii matriculæ inſcripti ſint iidem qui Notarii Cameræ. *Dom.* Certe hoc putabam, ergo clarius me docebis differentiam. *Jub.* Notarii matriculæ inſcripti examine prævio (quod etiam fieri poteſt per Commiſſarios, ſi petens matriculam ſit abſens, facta ab iis relatione cum teſtimonio bono) non habent idcirco officium aliquod in Camera, aut Cancellaria, hi enim ſunt numero tantum ſex aut pauciores, ſed manent in patria ſua vel alibi, ubi ex ſtudiis vivere poſſunt. *Dom.* Ad quid igitur matricula? *Jub.* Multum omnino. Primo, ad teſtimonium doctrinæ, deinde ad majorem fidem in officio, nam plus tribuitur inſtrumento vel teſtimonio Notarii immatriculati quam ſimplicis. *Dom.* Quare hoc?

puta-

putabam à Comitibus Palatinis etiam examinari & jurejurando obſtringi? *Jub.* Id quidem eſt verum: Sed quemadmodum intereſt inter Comitem Palatinum & Comitem Palatinum, ita inter Notarium & Notarium. In Camera Imperiali major debet eſſe rerum certitudo, doctrina mores & exercitatio perſpecta. Porro, inſinuationes Proceſſuum, quorum executio à nunciis ordinariis interdum fieri non poteſt, Notario immatriculato committi debet, non ſimplici. *Dom.* Nondum ſatis didici ordinem quem tenent Notarii Cameræ inter ſe in Cancellaria & Senatibus. *Jub.* Qui in Senatu ſunt à manibus Protocolli, in Cancellaria alios labores non habent, ſatis occupati ad Protocolla ordinate conſcribenda, ſi procraſtinare aliquid nolint. Fides Protocolli debet eſſe inconcuſſa. Et hi non facile mutantur in Senatibus. Ceteri in Cancellaria labores habent diſtributos, & horum unus dicitur hebdomadarius, ceteri alias habent occupationes. Ille qui in Senatu eſt, eo finito, ſupplicas cum decretis inſcriptis defert ad Cancellariam, ubi per hebdomadarium traduntur Procuratoribus vel amanuenſibus. *Dom.* Ita vero per notam manum Notarii facile eſt ſcire, ex quo Senatu decretum aliquod prodierit? *Jub.* Imo vero ille Notarius qui in Senatu fuit, decretum inſcribit tantum illi exemplo Supplicationis quod in Cancellaria aſſervatur, (duo enim exempla cujusque libelli ſemper ſunt exhibenda à Procuratoribus) alteri

teri quod Procuratori traditur, inſcribitur decretum manu hebdomadarii, cui nequidem, ut audivi, copia datur Protocolli Senatus inſpiciendi. Sed neſcio an Notarii ſemper adeo ſint tenaces inter ſe ipſos. Erga Procuratores ſunt plerumque nimium, ut citius clavam ex manu Herculis extorſeris, quam ab his quidquam quod ſcire nobis foret utile. *Dom.* Quam felices ſunt Notarii quibus aditus datur ad Senatus, qui deliberationes audiunt & in utilitatem ſuorum ſtudiorum convertere poſſunt quæ didicerunt! *Jub.* Omnino. Et ego ſi contigiſſet mihi in juventute tale officium, non optaſſem præſtantius. Sed ſciendum eſt, eos tantum fructus capere, qui fundamentis Jurisprudentiæ ſolidis non ſunt deſtituti, atque ad altiora officia adſpirant. Si per aliquot annos officio Notarii ſunt functi, de promotione ulteriore ad alia officia ſunt certi. Qui vero aliud non deſiderant, contenti ſunt, ſi qualitercunque munere fungi poſſint. *Dom.* Stetimus ſatis in hoc angulo plateæ, pergamus ſi placet, prætereuntes enim credent nobis hic neſcio quid rei eſſe. *Jub.* Placet: *Dom.* Quem numerum ſtudioſorum video nobis obviam venientem, crederem eſſe hic aliquem Profeſſorem à cujus Lectione ipſi veniunt. *Jub.* Similitudinem habet aliquam. Et habitat hic aliquis Doctor Advocatus & Procurator, qui adventantibus ſolet Proceſſum Cameralem exponere. *Dom.* Eſt ne is ſolus qui in ea re adjuvat Studioſos? *Jub.* Sunt

etiam

am alii ex Advocatorum numero, qui petentibus ea
re officium præstare non recusabunt. Ad illum ve-
frequentior est concursus, quia eo in studio nomen
quisivit atque usum. *Dom.* Audivi sæpe Giessenæ,
ıod ex frequentatione musæorum Procuratorum
agna capiatur utilitas: Si Acta integra Cameralia non
nt penes Procuratores, quidnam discitur in musæis?
ıb. Vident, quibus aditus permittitur, Protocolla,
modum Recessus componendi, Supplicas formandi
t in ordinem redigendi, brevi.: *Schlendrianum* fo-
nsem. *Dom.* Sæpe de hoc Magistro audivi, vel-
m & ego eum audire. *Jub.* Poteris si volueris, sed
m est prandii tempus, postea Audientiæ, & com-
ınendæ mihi sunt Tabellæ sive Designationes Reces-
um, redibis si placet hora prima, & comitaberis me
l Audientiam, in qua cliens aliquis noster Judæus,
ıramentum publice præstabit. Non ipse quidem sed
r alium Judæum qui ordinarius esse solet mandata-
ıs, & satis obduratæ frontis. Neque enim Christia-
ıs à Judæo mandatum ad jurandum accipit. In-
gna res foret jurare, etiam mandatario nomine eo-
m, qui non verentur pejerare, si agunt adversus
hristianum: *Dom.* Non sane negligam hunc actum
ıservare. *Jub.* Scis jam ubi meus sit locus, ubi
us, finita Audientia quæ hodie est ordinaria i. e. sine
ntentiarum graviorum publicatione præsente Domi-
ı Judice & pluribus Assessoribus, observata abs te
recen-

recenſebis. *Dom.* Quidnam hic ex feneſtra Auditorii, per Pedellum in publicum proclamatur? *Jub.* Bene hoc obſervas. Proclamata quæ audiſti hodie adverſus non comparentes in Sententiis decerni, per Pedellum proclamantur: *Dom.* Quibus verbis? Nimium feſtinanter loquitur iſte. *Jub.* Repetit Sententias ſingulas, Proclamatum ex. gr. *In Sachen N. wider N. Citat. iſt das Ruffen hiermit erkannt*, & addit Pedellus ad unamquamque ſententiam: *Zum erſten, zum andern, zum drittenmal. Dom.* Quis effectus cujus rei? *Jub.* Ut in contumaciam contra Reum procedatur ſi à die publicatæ Sententiæ intra dies ſex Audientiarum non compareat. *Dom.* Si ergo hoc ſciunt Procuratores, quare non comparent in tempore. *Jub.* Si mandatum non habent, comparere non poſſunt. Si habent, intereſt quandoque magis, florenum, qui Pedello debetur, pro Proclamate exſolvere, qua ratione purgatur contumacia, quam ante publicatum Proclama comparere. *Dom.* Vidi & audivi res quas nunquam alias didiceram. Obſervavi actum Juramenti Judæi, memini tamen me audiviſſe Judæos jurantes conſiſtere debere in corio porci, quod tamen hic non vidi. *Jub.* Ad antiquas fabulas hoc pertinet. Hæc quæ vidiſti, & non alia ſolennia obſervantur. *Dom.* Mira ſunt mihi iſta omnia. Allocutio Protonotarii, reſponſio Judæi, quam tamen ubi maledicti nominantur, non erubuit effari: quod

caput

apput pileo tegat: denudatum brachium, decalogo Iebræo imponens, & reliqua. *Jub.* Ita res est, & ege Camerali verba omnia sunt præscripta, quæ tibi ic legenda evolvam: ceterum istos clientes non gre ferimus, quia largius solvunt, & promtius. *Dom.* Observavi præter consessum solennem, Dn. Juicis & quatuor Dnorum. Assessorum reliqua omnia se eadem quæ nuper fuere à me notata. *Jub.* Recte icis, neque alius esse modus debet. Audisti tamen iquas Sententias publicari: Actorias, Proclamata & ias levioris momenti, definitivæ enim ad solennem ublicationem reservantur plerumque. *Dom.* Audii, sed oblitus sum sciscitari, num iidem Assessores ublicationi, vel solenni vel minus solenni, adsideant, ui fuere Sententiarum auctores vel earum causarum :ferentes. *Jub.* Minime, nisi id fiat ex accidenti, am non alii Audientiæ adsident quam quos ordo tanit, quem observare & monere, officium est Pedelli. *Dom.* Putarem istas circumcursitationes auscultantium, : collocutiones corrigi debere. *Jub.* Collocutiones eri submissa voce, reverentia exigit, circumire portet, nos cumprimis, quia habemus cum aliis Procuratoribus communicanda. Id tamen ne fiat cum :repitu, monet quandoque Pedellus jussus ab Assessore præsente. *Dom.* Audivi aliquoties Procuratores : invicem interrumpentes inter perorandum, putaam id decorum non esse. *Jub.* Interruptiones istæ

indiſcretæ valde diſplicent Procuratoribus ſenioribus & optarunt à Superioribus modum poni. *Dom.* Qualem vero modum? *Jub.* Aliquando Receſſui cuidam contradicitur è veſtigio, & quidem verbis breviſſimis, quod eſt tolerabilius, & inhæret alter ſuo petito per vocem *Priora.* Prolixiores Receſſus ad calamum dictari ægre ferunt & Aſſeſſores & Notarii. Alia irrepſerat conſuetudo interrumpendi, quandò forte ſeniorum aliquis abſens juniorem ſubſtituiſſet ad Receſſum publice legendum. Cum itaque unusquisque in ſuo ordine etiam per ſubſtitutum, audiatur, accidebat ſæpius, ut junior ille ſubſtitutus alium ſeniorem, qui vix perorare incœpiſſet, interrumperet: *Pro Domino Doctore N.* Huic rei inprimis remedium fuit adferendum. *Dom.* Explica quo modo? *Jub.* Poſt Decretum generale Anno 1723. ipſi juniores Domini, ſi ab aliquo ſeniore rogati ſunt ad legendum pro ipſis Receſſum, hoc mature indicant, non verò expectant dum aliquis ex ſequentibus in ordine aſſurrexerit & dicere incœperit, qui deinde interpellatus, audito nomine Procuratoris in ordine præcedentis, confeſtim, & cum rubore aliquo, retrahere orationem ſuam debeat. *Dom.* Juramenta Appellationis à ſex Procuratoribus una vice, præeunte verbis Aſſeſſore, præſtari obſervavi. *Jub.* Ita fieri ſolet ſi plures ſint qui Proceſſus Appellationis reproduxerint. *Dom.* Vidi aliquem prodeuntem, & Aſſeſſore ſceptrum porrigente,

hoc

hoc manu tangere, confeſtimque ad ſuum locum redire? *Jub.* Cautio ſic præſtatur judicialis de producendo Mandato Procuratorio. *Dom.* Nihil tamen auribus percepi de hac cautione. *Jub.* Hoc inde eſt, quod Receſſus celerius, & à nonnullis voce magis quam quæ exaudiri poſſit, ſubmiſſa, recitantur. Qui clare & diſtinƈte non loquuntur, audiri non velle putares. *Dom.* Hoc vero quare non corrigitur. *Jub.* Quia hominum mores ſæpe corrigi nequeunt. Finienda eſt hodie noſtra converſatio, quia in Audientia hodierna magnam copiam accepi Receſſuum adverſariorum, qui Protocollo inſerendi. *Dom.* Gratias tibi debeo pro amica informatione. Vale igitur quam optime, amantiſſime mi Jubenti, & favere mihi perge.

COLLOQUIUM TERTIUM.

Jubentius : Domitius.

JUb. Salve Domiti, putabam te ex vicinia diſceſſiſſe, cum per ſemeſtre fere ſpatium abs te nihil literarum ad me pervenerit, nec tu ipſe huc advolaveris. *Dom.* Salvum te eſſe lætor, exoptatiſſime Jubenti, quem inviſere non neglexiſſem, niſi fuiſſem per crumenam impeditus. Ad epiſtolas autem ſcribendas

das meminiſti olim Studioſis non multum ſupereſſe temporis à Collegiis, à lucubrationibus, à prandio, ab exercitiis à deambulationibus &c. &c. *Jub.* Videris mihi ſolito pallidior, neque commoda uti valetudine. *Dom.* Equidem non puto, & bene me valere heſterna dies docüit, qua non nihil crapulæ expertus ſum, reverſus domum à ſodalibus. Opus enim habent alterna requie lucubrationes. *Jub.* Suſpicor in convivio anniverſario. *Dom.* Equidem de tali convivio nihil ſcio. *Jub.* Moris eſſe dicitur ut in die Martini Studioſi honorarium aliquod extraordinarium conferant iis, quorum menſa utuntur, pro quo viciſſim excipiantur convivio. *Dom.* Dum ego fui Gieſſæ talis convivii non memini. Ajunt juſſu Principis morem eſſe ſublatum. Quidquid ſit ejus rei, ſtudioſa juventus legem ſibi ferri non patitur ne ipſi inter ſe convenire velint & quandoque, ut eripiantur curæ, juxta Poëtam *Ovidium*, compotent. Sed ut mei adventus cauſam tibi amice exponam, ſubripui ego heri inter pocula alicui ex commilitonibus manuſcriptum aliquod lepidum ſub titulo *Schlendriani*, quod per incuriam ex veſte ei excidebat. Hoc tecum communicare volui, cum in noviſſima noſtra confabulatione *Schlendriani* feceris mentionem. Putavi itaque in Theſaurum me incidiſſe, cujus ſine alterius damno, neſcio an etiam ſine invidia, poſſim fieri particeps: Nam retinendi animum non habeo, ſed Domino ſuo reſtituen-

ıendi, posteaquam exemplum mihi confecero de nanu mea. Et faciam citissime, dummodo abs te dicerim qualis scripti possit esse usus, & an ei tutò sit dendum. Ego quidem observavi in Lectione fugiiva, multa quæ ad Praxin Cameralem pertinent in eo ontineri, sed dubito, an auctor gratiam magnam occe scripto sit initurus. *Jub.* Quod tu mihi tanuam novi quid adfers, ego jam dudum vidi, & auіore dum hic esset, usus sum familiariter. Is Procuatori nulli erat addictus, sed numerabatur inter eos, ιuos vulgo Practicantes vocant, id est Studiosos, qui ddiscendæ Cameralis praxeos gratiâ hic commoranur, quorum quandoque sunt totidem vel plures, ιuam in vestra Academia. Auctor iste juxta solidioem doctrinam Jurisprudentiæ, studiis etiam eleganioribus à juventute erat imbutus, & quæcunque ›oterat, rimabatur. Accessum sibi ad musæa Procuatorum paraverat per commendatitias literas, sed um curiosior esset quam ipsis placeret, non semper cceptus erat ejus adventus. Aliquoties à me monitus uit, ne scrutaretur nimium quæ scire necessarium ιon erat, sed ipse arte sese insinuandi non destituebaur: Sunt enim, quos abesse mallemus, quibus tanen vel aditum præcludere, vel eos expellere honeste ιon possumus. Tandem, ut erat ingenio felici, inormatus, quantum sibi opus esse crediderat, discessit, x jam in patria officio publico fungitur. *Dom.* Optasſem

sem

ſem itaque ut in præcedentibus converſationibus noſtris hoc ſcriptum non celaſſes. *Jub.* Equidem non celavi, ſed tibi adhuc utile fore non credidi. Poſſet enim quis, niſi ſcopum Auctoris intelligat, eo male uti. *Dom.* Mihi videtur eſſe ſatyra magis, & in detrimentum eorum, qui cauſas tuentur, compoſitum. *Jub.* Ita putabunt qui de re ipſa, ſicuti tu informati non ſunt. Abuſus foret iſtius ſchediaſmatis inſignis, ſi quis ea, quæ Auctor ceu regulas Schlendrianicas tradidit, imitanda eſſe crediderit. Is enim ſcriptionis ſcopus nequaquam fuit, & habendæ gratiæ Auctori, quod novitios ab erroribus revocaverit, methodo hac arbitraria. *Dom.* Annon igitur iſta, quæ ibi narrantur, in ipſis rerum argumentis obtinent? *Jub.* Imperite quæris mi Domiti. Quotusquisque enim eſt ex noſtratibus Dominis Advocatis & Procuratoribus, qui officii ſui dignitatem & rationes non calleret longe rectius: Ego plane aliter ſum perſuaſus, & meliora experior quotidie. *Dom.* Qui fit ergo, ut ab Auctore ſchediaſmatis hæc quæ reprobanda magis eſſent, tanquam regulæ inſtructivæ tradantur. *Jub.* Ex trivio meminiſti haud dubie, quid ſit figura Rhetorica, quæ dicitur Ironia. Scias igitur, Auctorem ſcripti iſto modo docendi, quo olim Eraſmus Roterodamus & alii feliciter uſi ſunt, vivis coloribus ea depingere voluiſſe, quæ vitanda potius, quam imitanda eſſe putaverit. *Dom.* Putarem ego Auctorem parcere debuiſſe

ɔuiſſe verbis, ne de cauſarum patronis forenſibus aliter
ʇuam par eſt credant de rei veritate non ſatis edocti.
Jub. Male omnino judicas. Officium Advocatorum
& Procuratorum Auctor non deſcripſit, ſed, quod
ale non ſit, vel eſſe debeat, dicere voluit. Fallentur
tiam maxime, qui ſibi imaginarentur, conſilium
Auctori fuiſſe, detegere ea, quæ ipſo facto ab Advo-
atis & Procuratoribus fiunt. Aliud enim monſtrat
cripti titulus. *Dom.* Explicationem pleniorem hu-
us rei abs te expecto. *Jub.* Obſervavit Auctor, &
æpe in familiari colloquio mentem ejus intellexi,
nultos ex Studioſis Wetzlariam venire, fundamentis
urisprudentiæ non ſatis imbutos. Error enim eſt fre-
ʠuentiſſimus, Praxin forenſem, Cameralem cum-
rimis, addiſci poſſe ſine ſolida Juris cum civilis tum
ublici Imperii doctrina. Praxis ſine fundamentis
heoreticis ſimilis eſt Charletaneriæ, hac enim, à Gal-
ca lingua mutuo ſumta voce inſignire voluit erudito-
um ἐμπειρίαν celebris noſtri temporis Polyhiſtor. Theo-
ia ſine Praxi proxime accedit ad Pedantiſmum, quem
eſcripſit *Ulricus Huberus*, JCtus eximius Friſicus.
Cum ergo multi Studioſi ea, quæ externe fieri obſer-
ant, pro captu ſuo intelligant, incidunt facile in er-
orem duplicem: Unum, ac ſi in externis iſtis offi-
ium Advocati & Procuratoris conſiſteret, & nihil
ſſet facilius quam tali munere fungi: Alterum, quod
a, quæ fieri audiunt, animo lites protrahendi acci-
dant,

dant, qua in re male omnino judicant. Hos errores Auctor Schlendriani ſtylo ironico notare voluit, eo fine, ut Practici novitii ad ſolidiora diſcenda incitarentur, & in iſtiusmodi modis agendi boni Advocati & Procuratoris officium non conſiſtere, imo ſummopere vitanda eſſe, intelligerent. *Dom.* Nihilne eorum actu fit, ut deſcripſit Auctor? *Jub.* De occultis reſpondere non poſſum: Si quid accidat, & incaute, ut intelligatur, pœnam ſecuturam certum eſt. Si apertum non ſit, in meliorem partem fiet interpretatio. Externa ſpecies imponere non debet. Conſilio malo non fieri, credere libenter volo. De meo Procuratore facilius adhuc ſpondere poſſum. Et de plerisque quos propius noſſe licuit, licuit autem plurimos, ſcio, quod alia plane ſint induſtria & doctrina viri. *Dom.* Videor mihi jam ab errore, in quo fui, liberatus eſſe. Credo tamen hac ratione plura reprehendi potuiſſe vitia *Schlendrianica* quæ Auctor prætermiſit. *Jub.* Nullum eſt dubium, ſi cujus mentio nuſquam eſt, ſe dolet excludi, properet, ſat erit locus illi. *Dom.* Verſusne tu loqueris ex tempore? *Jub.* Minime, ſed memineram hic verſuum, in fine libri cui titulus *Navis Stultifera.* Eum ex amici Bibliotheca perluſtrandum accepi: Inſpice ſi placet: *Dom.* Et literarum & imaginum ligno inciſarum forma, antiquitatem libri indicant: Auctoris nomen non video neque annum editionis. *Jub.* Animadverte

verte tituli partem ſupremam ab imperitis, forte pueris quibus imagunculæ monſtratæ, eſſe laceratam, ſed adhuc conſpicuum nomen Auctoris *Sebaſtiani Brand*, (latine vocabatur *Titio*) Argentinenſis & Reipublicæ Patriæ Proto-Cancellarii, cujus laudes ex *Pauli Langii Chronico Citicenſi* repetit *Hertius in Bibliotheca Germanica num. 1218.* Tradidit autem Philoſophiam moralem ea methodo, ut vitia hominum tanquam Stultitiæ plena in unam compingeret navem. Opus vernaculæ linguæ verſibus conſcriptum, ab aliis Latinitate donatum varioque carminum elegantiſſimorum genere illuſtratum fuit, prout hic vides. *Dom.* Annus quem in fine libri jam deprehendo MCCCCVI. videtur eſſe ſuſpectus, nam eo tempore artem typographicam nondum cœpiſſe in Germania memini me legere *in Hiſtoria Literaria Struvii.* *Jub.* Niſi de vita & morte *Titionis* conſtaret aliunde, vivere enim deſiit Anno 1521. putandum foret, more typographorum veterum non referri annum editionis, ſed abſoluti operis manuſcripti. Aſt, cum Auctor Anno 1406. nondum fuerit natus, dubitandum non eſt, errore typographi poſitum eſſe Annum MCCCCVI., aliam vidi recentiori charactere editionem, cui additus Annus 1497. *Dom.* Memoratu digni ſunt verſus in titulo:

Quanquam Stultifera mihi vox eſt indita navi,
Sana tamen tuto mens mea vela leget,
Non etenim doceo quemque inſanire, ſed hortor
Et moneo inſanum &c.

(O) *Jub.*

Jub. Pariter non docere voluit Auctor quemque Schlendrianice agere, sed monere juvenes, hanc non esse viam, & Praxin quam sibi forte imaginantur. *Dom.* Quid ergo tandem erit *Schlendrianus*, quem ubique locorum nominari & commendari audio, operam dandam esse, ut Schlendrianum addiscamus: in existimatione esse, qui eum bene noverit. *Jub.* Verum dicis, vulgo & commendari & laudari, sed sciendum tibi est, fieri hoc non eodem ab omnibus sensu, diversa quoque esse hominum & studia & ingenia. Commendant sæpe aliqui laudantque aliis, quod, quid sit, ipsi nesciunt: Aliqui consilium dant pro ratione ingenii ejus, qui petit. Est enim, quod dolendum, tanta hominum copia qui legum studio vitam sustentare volunt, ut non possit non fieri, quin major numerus sit eorum, quorum profectus infra mediocritatem manent, paucissimi ad solidiorem scientiam adscendant. Illi, si Justinianum accusent, se ipsos culpare potius deberent, quod, priusquam ad studia liberalia accesserint, suas ingenii vires in examine non habuerint. Hinc accidit non paucis, ut contrarium experiantur, quam quod Justinianus Cæsar in epilogo Novellæ primæ sperare jussit, si cum vulgo textum hunc de studio legum in genere, accipere liceat. *Dom.* Parum abest, quin poeniteat me jam incoepti studii juridici. Obfirmabo tamen patientiam. Tu vero, amice, quem tenere debeam verum de *Schlendriano*

driano intellectum explicare memento. *Jub.* Faciam libenter, quantum possum. Ante omnia cavendum, ne intelligantur artes Rabulariæ, quam acceptionem reprehendit Schediasmatis Auctor. Eæ enim honestos viros non decent, & nullus est Dnorum. Advocatorum & Procuratorum Cameræ, qui tales non aversetur. Si ullibi, certe hic loci, severa foret in eas animadversio. Semper habuit, & adhuc habet Camera Imperialis in Procuratorum ordine viros doctos, tanto Judicio dignos, quorum complures, & inter eos meus quoque Patronus, honore & titulo Consiliariorum ab Electoribus, Principibus, ac Statibus Imperii sunt insigniti. Est inter eos, quod non diffitendum, inæqualitas: Sed quotusquisque est, qui æqualitatem ingenii, studiorum, morum, omniumque agendi rationum &c. quæsiverit in quocunque Collegio? Deinde, deponendus est sensus *Schlendriani* vulgaris, in nudis externis formulis earumque imitatione qualicunque, vel potius abusu, consistens. Hunc risui habuit Auctor. Tertiò, si uti velimus isto vocabulo, plebejo magis, quam ad doctos pertinenti, nihil aliud significare puto quam scientiam applicandi promte in ipsa Praxi, regulas & formulas receptas atque probatas, atque cum judicio. *Dom.* Hæc autem tua descriptio longe aliter se habet quam Auctoris. *Jub.* Is in Schediasmate talem dedit descriptionem, qualem juvenes imperiti vulgo sibi imaginantur, non qualis re-

vera esse debet. Ut dicam quod res est, doctrina & peritia styli, id ipsum est quod *Schlendrianum* appellant. Vitio & imperitia hominum factum est, quod rem plane necessariam, stylum judiciarium puta, vocabulo contemtibili *Schlendriani* insigniverint. Credo id factum ab iis, qui tales sunt, quos Auctor Schediasmatis reprehendere voluit, h. e. qui imperitiam calliditate quadam obtegere didicerunt. *Dom.* Optarem ut similitudine aliqua hoc illustrares ad captum meum accommodata. *Jub.* Didicistine aliquando Geometriam? *Dom.* Fuit à juventute meum delectamentum. *Jub.* Probe. Et quam insignem præbeat usum in omni disciplina non dubitant nisi qui studio isto imbuti non sunt. Circinum tractare haut dubie fuisti doctus. *Dom.* Injucundum foret hoc studium sine exercitio circini. *Jub.* Id quidem fit in musæo super tabulam vel chartam. Sed si in campo aliquid peragendum tibi esset ipso opere: si juberis regulas architectonicas quæ Geometrico studio innituntur, ad Praxin deducere: auderesne id peragere sine periculo? *Dom.* Minime, quia nondum expertus sum: *Jub.* Intelligis jam differre scientiam regularum, vel in Legibus traditarum, vel *styli*, qua voce designantur regulæ usu probatæ non scriptæ, à peritia iis in ipsa Praxi utendi. *Dom.* Hoc bene capio. *Jub.* Ergo hæc peritia scite & promte tractandi negotia, cumprimis quoad externa, vocatur *Schlendrianus.*

Dom.

Dom. Diſco jam multa, antea non audita. Si recte ua verba percepi, ſtylus à Schlendriano non differt, iiſi in peritia adplicandi: *Jub.* Rectiſſime. *Dom.* Sie doctrina Jurisprudentiæ nullius eſt pretii notitia exernarum formularum. *Jub.* Optime. Et cum ſtyus judiciarius non ſit absque ratione legitima, hanc jui ignorant, nequidem ſtylum ſcire crediderim. *Dom.* Qui ergo doctrina eſt præditus, huic notitia ſtyli, qui ab obſervatione diligenti & exercitio depenlet, non multum faceſſet laboris? *Jub.* Bene judi:as. *Dom.* Et facile poterit pro diverſitate negotioum caſuumque occurrentium formulis uti, vel noras condere proprio Marte, obſervatis præceptis genealibus: Et omnia quæ ſunt externa, pro re nata adiibere eaque moderari. *Jub.* Egregie rem tenes. *Dom.* Ego itaque Jurisprudentiæ operam dabo ſedulo, & ſpero me evalurum bonum Schlendrianum. *Jub.* Optime facies: & experieris inſignem utilitaem. *Dom.* Converſationem hodiernam habeo quovis convivio cariorem. Revertar nunc domum, :ommilitoni meo ſcriptum reſtituturus, dataque occaione alios etiam ab errore revocaturus. *Jub.* Recte facies. Vale.



COLLOQUIUM QUARTUM.

Domitius : Jubentius.

DOm. Videone ego hic amicissimum meum Jubentium ? *Jub.* Salve Domiti charissime. *Dom.* Quænam obsecro, fortuna te ad nos adduxit, cum sciam te in palæstra tua occupatissimum & maxime necessarium. *Jub.* Excurrere licuit feriarum tempore, & factum à me est, ut ante discessum meum te amicum inviserem. Serio enim jam ago consilium relinquendi officium, cui fere insenui. Quotusquisque enim est quem non tandem capiat desiderium inserviendi sibimet. *Dom.* Credo, & meminisse te vulgati illius : *Sic vos non vobis &c.* Nihilne novarum rerum affers ex vicinia ? *Jub.* Equidem apud nos semper aliquid novi, sed quæ illic versantium curiositatem nutriunt, alibi degentibus minime satisfaciunt. Quid enim vestra referret scire, quales Processus novi introducti, decreti, reproducti, decisi & similia. *Dom.* Equidem non omnia scire placet quæ alibi agantur, sunt tamen aliqua quorum notitia non foret inutilis, vel saltem jucunda. Increbuit apud nos fama paucis abhinc diebus, rusticum aliquem ex vicino vobis pago, qui solitus erat venum portare gallinaceos, in campo à satana esse abreptum, & quidem

:m à latere uxoris quæ maritum comitata, vocem ·clamantis eminus audiviſſe dicitur. *Jub.* Proh! fa-ulam hanc etiam huc delatam audio. *Dom.* Fabu-m! veriſſimum eſſe dicitur factum: deperditum ıim virum, qui hucuſque non comparuerit: neceſſe ·go ut diabolus eundem habuerit in ſuam poteſtatem. *ub.* Quaſi vero homo leviſſimus ebrius aquis ſubmer-i non potuiſſet. Sane ut homines abripiat non opus abet diabolus, qui ſponte ad eum veniunt. Vivi abducendi eſſent, multi tali ſupplicio forent digni, ıajori etiam exemplo quam iſte ὀρνιθοφορὸς, cujus cada-:r nuper à flumine redditum, poſtea terræ manda-ım, ipſe meis oculis vidi. *Dom.* In alio pago etiam icino viri cujusdam defuncti corpus à dæmone aſpor-:tum dicitur. *Jub.* Crederes tu ferme in vicinia no-ra dominari plane dæmonia. Mirum, ſi non etiam : meteoro quod conſpicitur quandoque, draco-:m volantem dicunt, fabulæ ad te ſint perlatæ. *)om.* Exiſtimo dominium exercere ubique, dæmo-:m, licet non ſemper permittatur ei talia patrare. :onſenties ſaltem, (eſt enim doctrina Apoſtolica) po-ntem eſſe malum ſpiritum in aëre. Quare de infi-ıæ ſortis hominibus ejusmodi facta frequentius au-iantur, quam de dignioribus, indagatio non eſt no-ra. Sunt forte exempla alia quæ non evulgantur: llata eſt hisce diebus relatio de muliere quadam Hun-ırica, quæ menſe Octobri anni proximè præteriti

in ſuburbio Dreſdenſi inventa examinataque, ubi terrarum eſſet, & quo pacto ex patria ſua, plus quam ducentis ſtadiis à Dreſda diſtante, eo eſſet delata, neſcire ſe reſpondit. Fuiſſe autem ſe pridie ejus diei adhuc domi cum marito & liberis. Hæc omnia cum pluribus circumſtantiis conſtanter affirmavit fœmina, alias nec ibi neque in vicinia unquam viſa, adeo ut falſi ſuſpicio nulla eſſet. Ni fallor penes me adhuc eſt relatio Magiſtratus Dreſdenſis typis evulgata. Ecce eam, & quidem Ratisbonæ excuſam. *Jub.* Mira res: ſed forte dolus detegetur, vel alienatio mentis iſtius fœminæ, quam à puerperio vix egreſſam relatum lego. Dici non poteſt quanta ſit imaginationis vis in freneticis. Ex mille hiſtoriolis iſtiusmodi vix una alterave aliquid habet veri. Spirituum in corpora potentiam à multis in dubium vocatam, negare nolim, modus agendi plane eſt incognitus, neque enim unusquisque mortalium, qua ratione in corpus ſuum anima agat, ſcire poteſt. *Dom.* Et tamen ex medicorum nonnullorum principiis animæ rationali omnia corporis pathemata adſcribuntur. *Jub.* Hac de re videant ipſi, litemque cum Carteſianis dirimant. Nihil intereſt, modo in arte medendi, quæ eſt mere experimentalis, conveniant: Aſtrologorum alii terram mobilem, ſolem vero totius univerſi centrum ſtatuunt, alii, antiquioris doctrinæ tenaces, ſyſtema invertunt, in calculo temporum tamen concordant utrique;

Utri-

Utinam & Medici in præscribendis morborum remediis. *Dom.* Optandum hoc foret omnino. Contigisse tamen audivi, quod consilio Medicorum non unanimi & sententia plurium vincente, ægroti mortem obierint. In morbis vulgaribus artem non esse difficilem: Si quid extraordinarii occurrat, eos etiam qui peritissimi celebrantur, falli sæpissime, & periculum facere medicamentorum absque periculo suo. Ita scilicet abscondidit Creator Supremus causas rerum interiores. Sed de arte Medica satis. Fuit nuper inter nos Studiosus, qui in confabulatione *Monadologiam* deprædicabat, quam dicebat, juxta præcepta Auctoris sui, esse ***doctrinam deSubstantiis contemplantibus mundum universum***, & de *Monadum* speciebus quatuor multa addebat mihi obscura. Videbatur iste nobis, ut scriptum est in Sacris, novorum dæmoniorum annunciator esse. Deum ipsum, quem adoramus non aliter definiebat, quam ***Substantiam universa possibilia*** unico actu ***distincte seu adæquate repræsentantem.*** Animam hominis, ***substantiam universi repræsentativam***, cujus repræsentandi modus esset in corpore organico & ejus in hoc universo situ. Corporis vero, non humani tantum, sed cujuscunque rei creatæ naturam similem esse ajebat machinæ sive horologio, quod positis requisitis, aliter quam agit, agere non possit. Hinc etiam totum mundum describebat, ***seriem possibilium simultaneorum & successivorum in-***

 ter

ter se connexorum. Systema aliquod novum ex Idealismo & Mechanismo (quæ duo sunt pure contraria) conflatum, & non perceptibilem mihi harmoniam decantabat. Erant inter nos, qui has definitiones admodum paradoxas esse dicerent, & conclusiones Philosophiæ sanæ, ipsis etiam definitionibus repugnantes: quod homo motibus corporis, quos voluntarios & liberos esse dicimus & experimur, resistere non possit, sed efficiat eos necessario: motus omnes in corpore eodem modo quo jam eveniunt, eventuros esse, etiamsi non adesset anima, cum hæc per virtutem suam ad illos plane nihil contribuat: Animas extitisse ante corpora in natura elementari, easque in corpore humano demum ad naturam rationalem evectas esse: Eventus in hoc orbe terrarum, qui nobis sunt accidentia, ipse dicebat esse necessarios, ita, ut si per miraculum aliquod naturæ cursus ordinarius mutaretur, necesse foret ut omnia alia evenirent aliter in toto mundo, donec per novum miraculum restituta essent in statum pristinum: Et alia similia, notionibus nostris communibus, imo & Theologiæ Christianæ principiis adversa. *Jub.* De istis doctrinis novis Metaphysicis ego cognitionem sufficientem non habeo. Hoc ex recensionibus eruditorum, quas interdum apud Dn. Procuratorem patronum meum legere contigit, intellexi, quod doctrinæ tales à multis graviter impugnentur, & juvenes, ut ab iis tanquam peri-

ricu-

riculosissimis sibi caveant, moneantur. Mihi quidem vacatio non datur ad ea examinanda curatius, ipsa tamen quam adfers, Domiti, descriptio, nisi tota res abeat in logomachiam, videtur parere consequentias perabsurdas, proinde fugienda potius esse quam consectanda istiusmodi nova theoremata. *Dom.* Ego etiam quid proficui ad Christianam Religionem, ad bonos mores & Rempublicam attulerint, vel adferre possint, non perspicio. Risimus nos egregie, cum iste, quem dixi Studiosus, credo ex ideis suis metaphysicis quibus penitus erat deditus, asseveraret, aurifabrum quendam, in cuspide acus minimæ, turmam equitum artificiose & distincte expressisse. In grano arenæ numerum plusquam ducentorum animalium viventium consistere posse. Mittamus sterilia hæc somnia. Nihilne apud vos novæ rei? Putarem apud vos, ubi tot homines diversarum dignitatum commorantur & vos invisunt, accidere alia scitu jucunda præter causarum litigia. *Jub.* De hisce rebus ego parum sum solicitus. Otiosis hæc relinquenda, quorum affatim sunt in urbe nostra, qui studiorum loco, quæ vix degustant, operam dant narratiunculis, quas deinde alio deferunt, ut videantur de rebus Cameralibus bene informati si Diis placet! *Dom.* Haud dubie fidem non invenient apud prudentes. *Jub.* Prout occasio fert, & hominum sese offerunt ingenia. Novissimum est inter nostrates, quod Serenissimus Judex Cameræ Princeps Fürstenbergius

relicturus sit hoc officium, neque adhuc certus successor. Interim de augendo Dnorum. Assessorum numero spes est proxima. *Dom.* Oportetne ex ordine Principum Imperii Judicem Cameræ eligi. *Jub.* Hoc putant ii tantum qui Jus Publicum & Historiam nesciunt. Primus Judex Cameræ fuit Comes Zolleranus. Sequebantur alii ex ordine mox Principum mox Comitum Imperii: Hi sunt, ex quibus Principes fiunt. Nescisne tu quod Cæsaris sit Judicem constituere? Et clara est hac de re Legis publicæ dispositio. *Dom.* Bene est. Aucto deinde Assessorum numero sperare poterunt litigantes maturiorem causarum decisionem? *Jub.* Nisi etiam lites, quarum est numerus permagnus, quotidie augerentur. *Dom.* Oblitus fueram de mutatione Ministrorum Ecclesiæ apud vos facta, percontari. *Jub.* Ita est factum. Ille enim, de quo antehac inter nos sermo fuit, ad aliud officium vocatus, discesserat, primus in ordine vero morbi violentia è vivis erat ereptus. *Dom.* Hæc etiam huc pervenit fama, & per malignam febrem extinctos apud vos aliquot homines brevi temporis. *Jub.* Non mirum si quid pejus accideret. Tanta est illic pro securitate procuranda, quantum prudenter fieri potest, & aliorum docent exempla, incuria. Nullus mendicans importunus, nullus vagabundus prohibetur urbis ingressu. *Dom.* Fuit haut dubie facile invenire Ministros novos. *Jub.* Ea in re deesse non solent monentes & prensantes.

Jam

Jam peracta res eſt. Suffecti duo novi, quorum primus in ordine vocationis, à Domino Decano Canonicisque Catholicis & quibusdam ex Senatoribus civitatis electus in Parochum civitatis, per Dn. Decanum ritu ſolenni ad officium fuit inauguratus. *Dom.* A Decano Catholico Auguſtanæ Confeſſionis Parochus? *Jub.* Nihil certius. Adſtitere Senatorum urbis aliqui, tum vero Canonici, præcedenteque ſtipulatione nonnullorum articulorum quos in confluxu hominum & ſtrepitu audire non potui, tum vero impoſita capiti manu, facta eſt benedictio. Iſte verò ritus in antiquiſſima aliqua conventione fundatus eſſe dicitur, qua de re judicent alii. *Dom.* Hic ergo Parochus ita inauguratus pro vero Sacerdote habebitur etiam à Catholicis? Scis enim alioqui hos ſolos Sacerdotium ſibi vendicare. *Jub.* Sciſcitari non licuit eorum ſententiam. De eo ſum certus, conſuetudinem illam inaugurandi, ſi vera eſt, non officere quidquam reliquis Eccleſiæ Miniſtris legitime receptis, quo minus æqualem habeant poteſtatem, juxta verbi divini normam Sacra adminiſtrandi. *Dom.* Ita vero neo - electus nihil videtur habere præcipui, niſi ſit fortaſſis in ſalarii quanto. *Jub.* Ut narratum audivi, omnis iſta electio & benedictio eſt mera ſolennitas antiquo more ſervata. Nam neque directorio in rebus Eccleſiaſticis & Parochialibus utitur iſte electus præ ceteris Collegis, quod ex anteceſſore ipſius me intellexiſſe aliquando recogito,

gito, neque Salario fruitur, qua Parochus Ecclesiæ, largiori. *Dom.* Quare ergo retinetur solennitas hæc inutilis? *Jub.* Crediderim quod Magistratus civitatis facile sit passurus abolitionem; si liceret per collegium Canonicorum. Hos enim repugnaturos esse non dubito. *Dom.* Putant forte distinctionem sacrorum aliquando cessaturam & statum priorem, qui fuit ante reformata Sacra, reductum iri. *Jub.* Hoc an expectent in posteris futurum, ego scire non possum. Historiæ si credendum, fuit ante introductam in urbe Confessionem Augustanam, Parochus urbis unicus, ex collegio Canonicorum eligendus. Postmodum verò in possessione redituum Parochiæ norma observanda fuit, quam Pacificatio Westphalica sancivit, parte potiore apud Canonicos manente: Minor itaque Magistratui relicta, aucto numero Ministrorum Ecclesiæ, inter hos est divisa. De his omnibus notitiam certiorem, cum mea nihil referat, adquirere non studui. Videbantur tamen rerum periti, à quibus ea quæ dixi accepi. *Dom.* Unum adhuc scire vellem: si nihil habet præcipui is qui in Parochum urbis est electus, perinde etiam erit, quis ex Ministris Ecclesiæ præsentibus eligatur. *Jub.* Quantum ego scio honor hic delatus est semper ei qui in officio fuit senior. Hic an propterea magis ministrum verbi divini (nam Sacerdotis appellationem sensu Romanæ Ecclesiæ non admittunt Theologi nostrates) se esse existimaverit, ego

suo

ſuo relinquo loco. *Dom.* Quid verò ſi eligeretur aliquandò in Parochum is qui eſt in officio junior? *Jub.* Quoniam reliquorum Eccleſiæ Miniſtrorum officium eſt æquale, non exiſtimo quod ex iis junior ſupra dicto ritu electus prærogativam ordinis ſit affectaturus, niſi ſimul ſuſpicione gravi ambitionis vaniſſimæ ſemet ipſum onorare voluerit, &c, quæ exinde ſequeretur, animorum alienationem pluraque incommoda experiri. *Dom.* Nullane in electione Miniſtrorum Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſionis partes ſunt etiam Dominorum Cameralium? *Jub.* Non ſatisfacere tibi poſſum hac de re, conſulam Dnum. Procuratorem meum & alia occaſione ejus ſententiam ex me ſcies. Cum de electione cives inter ſe deliberarent congregati, parum abfuit quin ventum eſſet ad manus inter quosdam opifices. *Dom.* Non mirum hoc, quando etiam ſutores ultra crepidam, & laniones ultra ilia ſapere ſibi videntur. Deſiderio capior propediem ad vos me conferendi & ulteriorem adquirendi harum rerum notitiam. Ergo tunc ea de re plura confabulabimur. Quale nam ſcriptum tunica tua ſuperne reconditum geris? videtur eſſe Diſputatio aliqua Academica. *Jub.* Nondum inviſi quenquam ſed mecum aſportavi Schediaſma quod inſcribitur *Schlendrianus*, de quo olim ſumus confabulati. Id neſcio quis ardelio tranſferre auſus eſt in linguam vernaculam. Ecce traductionem & quidem typis mandatam. *Dom.* Video, ſed quid

quid ea in re peccatum fuerit, nondum intelligo. Vertuntur enim multa ſcripta ex latino idiomate, vel aliis peregrinis, in Teutonicum. *Jub.* Verum hoc eſt quidem, & ex translationibus nonnullis capi poteſt aliqua utilitas, ut nimirum ſcriptum aliquod ob præſtantiam materiæ, etiam ab iis legi poſſit, qui præter vernaculam nullam didicere linguam: Vel pro exercitio ſtyli. Nullius verò uſus eſſe poteſt verſio Schediaſmatis. *Dom.* Perge quæſo declarare tuam ſententiam. *Jub.* Eſt, inquam, aliqua librorum ſpecies ita comparata, ut non niſi in lingua, in qua ſunt conſcripti, legi debeant, vel quod materia in vernacula commode explicari nequeat, vel quod forma & ſtylus ab auctore electus alii linguæ non reſpondeat. Declarabo rem exemplis. Inconſultus foret ſane qui Commentarios ad materias Juridicas latine conſcriptos traderet lingua vernacula. Qui latina neſcit, imperitus manebit, licet in vernacula ſua tales libros legendo devoraverit. Scienti latina ſordebit translatio in vernaculam, quantacunque accuratione ſit elaborata. *Dom.* Hem! quam multi ſunt libri Juridici Teutonice conſcripti & valde accepti. *Jub.* Inter multos pauci boni. Et hi non translati ex latino idiomate, ſed in vernaculo conſcripti. Ita enim auctor ſtylum ad materiam & lectores attemperat: Lucubrationes de Proceſſu Ludovicianæ germanica lingua conſcriptæ omnibus fuere & merito ſunt commendabiles. Ita & Mevii de Contractibus uſurariis & ſimi-

ſimiles. Si quis Commentarium aliquem ad Pandectas, vel ſi mavis, integrum Corpus Juris Teutonica lingua donare vellet, quis non admiraretur hominis inſaniam? Leges publicæ legendæ & relinquendæ ſunt in idiomate, quo ſunt conditæ, nam translatio quæcunque privata ab errore non eſt immunis, neque ad eam licet provocare. Habet unumquodque idioma vim verborum propriam, quam alia lingua exprimere ſciunt non niſi utriusque peritiſſimi & uſu rerum exercitati. *Dom.* Conſentio hic quidem, ſed aliud objectum eſt ſchediaſmatis noſtri: Infinitæ extant translationes libellorum hiſtoricorum & moralium. Nonne inter hæc ſcripta numerabitur? *Jub.* Extant etiam Epiſtolarum Ciceronis, Cornelii Nepotis, Q. Curtii & ſimiles. Quo labore, niſi exercendi ſtyli germanici gratia ſuſceptus fuerit, parcere potuiſſent auctores, vel ſaltem ſumtibus typographiæ. Qui enim iſtis ſubſidiis latinam linguam bene didicerit, an inventus ſit unquam, hoc ſcient alii. Mihi nunquam arriſere. *Dom.* Videris mihi contemnere verſiones librorum ad unum omnes. *Jub.* Si exceperis libros ſacros, & ex hiſtoricis paucos, non admodum aberras. Pauci enim ſunt interpretes boni & periti. Adeo ut nequidem auctor omnis ſuum ſcriptum in aliam linguam transferre ſciat commode. Deinde id certum eſt, non omnia ſcribi omnibus. Neque omnia ſciri debere ab omnibus: Sunt, quæ vernacula lingua legi non expedit.

Et qui talia vertit æque reprehendendus, ac si quis lascivum Petronii Satyricon interpretaretur germanice. Tenet enim insanabile multos scribendi cacoethes, (meministi credo ex Poëta *Juvenali*) ut nihil non chartæ illinire vereantur homines otiosi. *Dom.* Perge tandem dicere de versione Schlendriani. *Jub.* Auctor scripti si credidisset expedire, Schlendrianum germanice tradere potuisset. Verum ille ad illotas manus pervenire non voluit. *Dom.* De ipsa versione quidnam sentis. *Jub.* Dicam tibi paucis: est absurdissima, stultissima. Versatum putares, quod in proverbio dicitur, asinum in unguento. *Dom.* Mirum igitur inventum fuisse obstetricantem Typographum vel Bibliopolam? *Jub.* Necesse est fuisse avarissimum, lucelli ex re aliena quærendi cupidissimum, sed simul imperitissimum & impudentissimum, qui non erubuit etiam per diversoria & ostiatim emtores stultæ suæ mercis emendicare. Hinc in mandatis mihi dedit Auctor ut dissensum suum testarer publice, & apud vos novam accurarem editionem, insertis passim ab ipso mihi transmissis additionibus & emendationibus, quo magis coërceatur, & interpretis istius ineptissimi, imo plagiarii, lascivia, & Bibliopolæ avaritia. *Dom.* Varia audivi de schediasmate judicia, probarunt alii, alii murmure exceperunt. *Jub.* Scio, neque aliam fortunam talia scripta habere solent. Majori tamen parti lectorum, & iis quidem prudentioribus,

ribus, probata fuit & materia, & errantes ad rectam viam reducendi, sale modico adspersa methodus. Nosti, quomodo cecinerit Poëta: *

Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe;
Quod volet, impugnent unus & alter opus.

Dom. Relatum fuit mihi, litem Auctori intentatam fuisse à quibusdam. *Jub.* Legerant hunc aliqui male docti forte libellum, bellaque crediderant esse parata sibi: Hinc orti strepitus, quos se non tangere sensit Auctor, sed ipsis. Tantum abest, ut adversus obtrectatores digladiandum sibi fuisse putaverit, ut potius vitilitigatores proprio ense misereretur confossos. Memini cum in Academia versarer, pictorem aliquem studiosorum quorundam mores imagine, ad modum Tabulæ Cebetis Philosophi, expressisse, in qua facies & actiones permultæ, sed nonnullæ insigniter deformes conspiciebantur & agnoscebantur. Hæc pictura cum inter alias publice esset venum exposita, plerisque verum artificis scopum intelligentibus & inventioni arridentibus, erat qui adversus picturam & artificem voce clamosa exsurgeret, non esse ferendum, ut talia publice proponerentur, vindicandamque factam sibi & aliis injuriam. Accedebant huic, ut fieri solet in turba, alii. Revocati tamen à plurimis sapientioribus. Ridiculum esse si quis quidquam ex pictura illa sibi congruere quereretur, propriæ enim turpitudinis actu-

(Q) 2 rum

* Ovid. *R. A. vers. 363. seq.*

rum esse præconem. Narrabatur historiola alia de pictura, quæ puellarum poëticarum trigam de quibus agit Seneca *lib. 1. de Benef.* repræsentabat, inter eas pictor, (an malitiose in medio relinquo) unam deformem in partibus quæ vestibus ornantur, effinxerat. Virgo quædam, alioqui perculta, defectus suos in imagine retectos indignata, de pictore male tractando consilia iniit. Consuluere amici ut taceret: De vitiis corporis non nisi voces auditas susurras, cum tempore transitorias. Campanam si moveret ipsa, omnibus apertum fore & certum, quos haberet defectus occultos. ***Dom.*** Prudentissime. Fuit hic aliquando artis opticæ peritus, qui speculum monstrabat facies mirum in modum nasutas repræsentans. Erat aliquis inspiciens prægrandi naso, qui artifici insultare velle videbatur, nisi à prudentioribus esset revocatus. ***Jub.*** Proinde qui Schlendrianum sibi artique suæ respondere criminatus fuerit, is in dorso suo Nemesin hærere confitebitur. ***Dom.*** Solent tamen eruditi scriptorum publice editorum facere censuram, mirarer, si non de hoc scripto nonnihil comparuerit? ***Jub.*** Censuram factam esse publice non scio, & operam talem nemo prudentum puto esse occupaturum, qui in censendo hoc scripto inutilem captaret nominis gloriam. Sunt equidem multi, qui, cum agnoscant se non esse pares ad componendum opus memoria dignum industria propria, nominis celebritatem quærunt in censendis scriptis aliorum,

rum, adeo ut fere non prodeat opus, quamvis innocentissimum, quod securum esse possit à periculo censorum, sive, (ut ex ore viri cujusdam illustris audivi) latronum in re literaria, qui etiam auctoris non parcant honori. Dantur nonnunquam censores, qui cum nomen suum publice profiteri erubescant, substituunt alios. Sed illico detegitur fucus, etiam in ipsis speciminibus Academicis pro gradu elaboratis, cum auctores titulo inscripti semet ipsis juvenes inexpertos dicunt, & tamen viris dignioribus & rerum peritis bellum movere stylo immodesto non verentur. Exposui tibi, amice, Schediasmatis scopum in confabulatione nostra novissima, per quam, novasque accessiones satisfieri potest etiam iis, qui modestius aliquid monuerunt, quod Auctorem, qua est benevolentia, æquo animo accepisse scio. *Dom.* Illud adhuc discere vellem, an etiam isto scripto revocare se passi sint serio aliqui errantes. *Jub.* Pauci sunt plerumque qui errores agnoscant. *Pessimus est, sapiens qui sibi visus, iners. Non etenim cuique credit bona rite monenti. Sed sibi consuetam perstrepit usque lyram.* Adeundus jam mihi est Typographus, & cum eo de nova editione tractandum. *Dom.* Oro te ut hodie prandere velis nobiscum more Studiosorum Academico. Videbis aliquem *Pancratium* qui non ita pridem ex Academia Jenensi ob duellum relegatus, huc advenit, & exoptat jam locum in musæo celebris cujusdam Advocati & Procuratoris

 Wetz-

Wetzlarienſis ad addiſcendam Praxin Cameralis Judicii, quapropter à me petiit ut amicum quendam ipſi conciliarem. Cum itaque relinquere velle te officium hucuſque geſtum dixeris, gratiam tibi habiturus erit haut dubie, ſi ſuffici poſſet in locum tuum. *Jub.* Non recuſo prandium & converſationem: Animus eſt fere in patinis. Peragendum tamen erit mihi inprimis negotium cujus gratia huc acceſſi. De loco meo promittere aliquid non auſim: Eſt alius expectans dudum, quem ſuccedere oportet. Novo enim homini ardua concredi nequeunt. Abſente quandoque Patrono omnia curare eſt noſtrum, mox in judicialibus, h. e. iis, qui in Audientia publica peragenda ſunt, mox in extrajudicialibus, h. e. Supplicis recte efformandis, cum petito adæquato & inſcriptione ſive Rubrica petitioni accurate reſpondente. Hanc latinis verbis facere ſolemus & quam fieri poteſt compendioſe: Petitum in Supplicatione germanicis, niſi totus Libellus ſit latino ſermone conſcriptus. *Dom.* Liberumne eſt quo quisque uti velit idiomate vernaculo an latino? *Jub.* Minime. Latino ſermone tantum uti licet in cauſis venientibus ex Provinciis quæ germanica lingua non utuntur, puta Leodienſibus & Tridentinis. Porro ſollicitandi Decreta abſente Patrono etiam nobis incumbit cura. *Dom.* Quis verò ſubſcribit Supplicas abſente Procuratore? *Jub.* Rogandus eſt alius, qui pro meo Dno. Procuratore id faciat. Sed de Pancratio, quod

quod relegatum fuiſſe publice narras, non ſane commendationis loco eſſe poteſt. *Dom.* Multi relegantur quibus non obeſt hæc pœna Academica. *Jub.* Verum dicis, ſi emendentur. In iſta Academia magis quam alibi eſſe duellantes Studioſos ſemper animadvertimus. Vale interim. *Dom.* Expectabimus te in prandio, ego interim decurram ad *Pancratium.* Heus Pancrati. *Pancr.* Cujusnam eſt hæc vox importuna? O chariſſime Domiti, te non credebam adeſſe. *Dom.* Cauſa eſt mei adventus, quod pranſurus hodie ſit nobiscum Jubentius, qui negotia celeberrimi Advocati & Procuratoris Cameræ curat, & omnium rerum eſt peritus, huic deſiderium tuum, cujus mentionem aliquoties injeciſti, coram exponere poteris. *Pancr.* Placet occaſio. Quomodo verò oportet compellare iſtum virum, eſt haut dubie Doctor vel Licentiatus? *Dom.* Imo non habet officium cui eſt annexa dignitas, neque eſt officium perpetuum, ſed pro lubitu mutabile. Multa ab iſto Jubentio utilia didiciſſe me profiteor. De eo quod deſideras ex ipſo melius intelliges quidnam ſit tibi expectandum. Inania titulorum non affectat. Appropinquat tempus prandii, eamus, ut convivam expectemus. Ecce revertitur noſter Jubentius. Brevi tempore peregiſti tua negotia mi Jubenti. *Jub.* Non erat aliud quam ut Typographo injungerem, maturationem editionis novæ. *Dom.* En tibi *Pancratium*, quem antea commendavi & rurſus etiam atque etiam commendatum

tum volo. *Jub.* Intellexi per Domitium desiderium tuum, Pancrati, nihil jam spondere potero, quam quod Patrono meo plurium Principum & Statuum Imperii Consiliario Advocato & Procuratori Cameræ Imperialis tui gratia sim locuturus. *Pancr.* Dominationi vestræ gratias ago, quod cum sua benevolentia me prævenire & se tam bene erga me declarare voluerit, petoque illam ut apud suam Amplitudinem Dnum. Doctorem N. unam bonam recommendationem pro me interponere non gravetur. Fui jam tres annos Studiosus Academicus, & absolvi Collegia Pansophica & Panjuridica, vellem jam in Praxi me exercere, ut etiam Schlendrianum addiscam, quod puto apud vos & præcipue apud ante fatam suam amplitudinem fieri posse. Non volui in hac Universitate incipere nova Collegia, hæc omnia enim puto me jam tum audivisse, & cum volens nolens huc profectus sim, melius erit ut ad Praxin aliquando veniam. *Jub.* Charissime Domine, dixi quæ per me fieri possint, scripturus sum brevi Domitio & mentem Dni. Procuratoris Patroni mei significaturus. *Dom.* Mi Pancrati, abi, & mone quæso ut maturentur dapes. *Pancr.* Faciam libenter. *Dom.* Ego ut de meliori vino quod etiam sit justæ ætatis, nobis ministrari, curavi. Estis enim vos Domini Wetzlarienses palato curatiori. Nobis quandoque propinatur nescio quid mixti & recentioris vini. *Jub.* Discernere vinum à vino œconomica vult prudentia.

Deli-

Delicatulus tamen non ſum, neque videri volo. Quoniam jam ſumus absque arbitris, mi Domiti, neſciamque quali diſpoſitione diſceſſurus ſim à prandio, confidenter tibi dico quod iſtum Pancratium, ad officia quæ ambit gerenda, idoneum minime exiſtimem. Oratio inſulſa, horrida, ut ex ſchola obſcurorum virorum prodiiſſe eum putares: geſtus incompoſiti: totus habitus, enſis prælongus, cum manubrio ad totum fere corpus obtegendum comparato, gladiatorem refert. De ſtudiis nihil magnopere mihi promitto. Putares hunc ex Collegiis, quæ ait Panſophicis & Panjuridicis coercitione potius, quam commendatione dignis, judice Morhoffio, Polyhiſtoris, ni fallor, capite primo, omnem ſapientiam & Jurisprudentiam perdidiciſſe. Examen ſi inſtituatur, conſtabit, vix extremis digitis deguſtaſſe, prout fieri ſolet ab omnibus qui hæc ſtudia veluti ſtadium equis conductis decurrunt. Ejusmodi homines inutiliter ad Praxin forenſem deproperant, neſcio quem Schlendrianum ſibi imaginati, cum quid vere ſit Schlendrianus diſcere deberent ante omnia. Præſtaret ut ſtudiis Academicis ſolidioribus iſte daret operam aliquamdiu, linguam latinam etiam excoleret, (ſed quotusquisque eſt, qui, niſi ex ſchola inferiore attulerit, in Academia diſcere non erubeſcat) & inſcitiam ſuam exueret: Frequentant Collegia in Academiis multi, qui, quia humaniora neglexerunt à juventute, non fiunt eruditiores,

culpam deinde in Professores, quæ tamen ipsorum est Auditorum, referunt. Non est Dominorum Procuratorum Cameræ has expurgare paleas, neque ex quovis ligno fieri potest Mercurius. Meus certe ex iis neutiquam est, qui nonnisi Schlendriano Magistro utatur. Peto, mi Domiti, ut Pancratium proposito dehorteris. *Dom.* Equidem ejus petitioni deesse non volui, tuum vero consilium mihi omnino præfertur. *Jub.* Adveniunt quandoque ad nos Studiosi præstantioribus ut ajunt Philosophiæ dogmatibus imbuti, quibus tamen nostri labores mox sunt despectui, cum ex principiis adoptatis melius erudiri se posse, vel factos esse eruditos, putent, homines ad exemplum Magistri sui nimium gloriosi, & contemtores animo, aliis intolerabiles. *Dom.* Non satis capio quid significare volueris, expectabo tempore alio explanationem. Eamus jam ad prandium, assideamus, nosque reficiamus.

COLLOQUIUM QUINTUM.

Domitius : Jubentius.

DOm. En adsum charissime Jubenti, invitatus abs te ad spectandam solennitatem introductionis novi in Camera Imperiali Judicis.* *Jub.* Recte

* *Scripta hac fuere Anno 1722. cum introduceretur Illustrissimus Dominus Comes de Hohenlohe.*

cte fecisti, hodiernus enim dies huic actui est præfixus, & vides jam civium armatorum cohortes ad honorem exhibendum Dno. Judici qui Cæsaris Augustissimi nomine Imperiali Judicio est præfuturus, congregari. *Dom.* Video etiam alios quos lectos esse milites, & ordines magis servare didicisse, externa species monstrat. *Jub.* Ita est. Eamus ut in loco aliquo consistamus ubi quæ observari à nobis possunt, observemus. Commodior erit is ubi haberi solent Audientiæ. *Dom.* Mallem ego spectare ipsum actum introductionis, & orationes audire. *Jub.* Mallem & ego, sed in conclave ubi Collegium est congregatum, nemo nostrûm admittitur. Legisti solennia præcedentis introductionis Principis Fürstenbergii? sunt enim typis mandata. *Dom.* Legi, sed quæ curiositas mea desideraret, ibi non inveni: *Jub.* Curiosior es forte quam te decet. Auditur jam strepitus tympanorum, concurrunt ad ordinem cives: *Dom.* Adventabit Dnus. Judex. *Jub.* Nondum. Sunt Deputati ex Dnis. Assessoribus, qui ut credo actum præparabunt: Hi facta Collegio relatione mox redibunt, Dnum. Judicem ad Collegium deducturi. *Dom.* Interim cur ordines suos relinquunt cives? *Jub.* Quia malunt suæ vacare commoditati donec ad sonitum tympani convocentur. *Dom.* Tanto & tam celebri Judicio, ædificium publicum conveniret multo angustius. *Jub.* Verum dicis, sed de sumtibus nondum est res perfecta.

 Dom.

Dom. Quantum interim periculum à conflagratione Archivi, in hoc ædificii situ & hac qualitate? *Jub*. Magnum sane. Utinam non sit aliquando sera de sumtibus erogandis deliberatio. Ecce jam adventat Dnus. Judex, comitatus à Dnis. Assessoribus deputatis, descendamus, ut ingredientibus iis, introspiciamus saltem in conclave ubi congregatum est Collegium. *Dom*. Ego qui beneficium staturæ habeo, in tanto hominum confluxu potero multos visu superare. Vidi uno quasi ictu oculi confessum, omnes capite tecto. Sed occlusa confestim fuit janua. *Jub*. Ita moris esse didici. Cetera ex descriptione solennium quam legisse te dixisti, colliges. A meridie in loco Audientiæ etiam introducetur Dnus. Judex, & cum magnus futurus sit hominum confluxus, maturabimus nos prandium in diversorio proximo quod insigne habet stellæ, est enim ibi mensa lautior & vinum bonum. *Dom*. Pretiumne facile? *Jub*. De hoc tibi nulla hodie erit cura: Nemo adhuc de immodestia hospitis istius est conquestus: Est etiam mihi notus, & bene nobis erit apud ipsum: Credo enim in hodiernam diem præparasse & culinam & cellam vinariam. *Dom*. Hic sane omnia bonum odorem habent, & lautiores sunt dapes quam tibi fuere apud me. *Jub*. Non semper oleum, neque ego hac utor quotidie mensa. Erit nobis hic dies lætitiæ. *Dom*. Audiuntur rursus tympana. *Jub*. Properandum ergo est ad Audientiam,

tiam, absolvetur brevi, & redibimus huc. Curabit interim hospes, ut vervex iste assus cum cervino dorso conservetur calidus. *Hospes:* Fiet. *Dom.* Video cum Dno. Judice utrumque Dnum. Præsidem, video & quatuor Dnos. Assessores, sedentes. *Jud.* Ita est moris: Et repetitur hæc solennitas vicibus tribus. Unusquisque etiam Assessor novus, tribus Audientiis post introductionem immediate sequentibus, sedere solet, non ut quomodo sese gerere debeat, quod perperam ita dicitur, discat, sed ut publice constet esse Assessorem, & pro tali habeatur. *Dom.* Peracta jam est res. *Jud.* Redeamus ad prandium. *Dom.* Quandoquidem ità jubes, non recuso, sed revertendum mihi est hodie domum, ne Dominus equi quem conduxi putet mihi eum à latronibus esse ereptum. *Jud.* Nullum hic periculum. Assideamus.

Martial. *Lib.* 9. *Epigr.* 81.

Lector & Auditor nostros probat Aule Libellos
Sed quidam exactos esse Poëta negat,
Non nimium curo, nam cœnæ fercula nostræ
Malim convivis quam placuisse cocis.

GUILIELMUS FRANCKENBERGIUS,

JUBENTIO, Amico suo

SALUTEM!


ACcepi cum Literis tuis humanissimis Libellum cui Titulus *Schlendriani*, à me olim compositum, tua vero cura editum & Colloquiis lepidis illustratum, nunc autem novis Accessionibus auctum. Scripseras tu quidem in exordio editionis secundæ Anno 1722. typum repetendum non fore, neque dubito tibi tunc fuisse causas; eam tamen tibimet non dixisse te legem intellexi, quam transgredi tibi non liceret unquam. Video etiam tibi hodie esse rationes novam hanc editionem curandi, neque ignotæ sunt mihi multorum, quibus hoc scriptum placuit, voces, quod priores editio-

tiones dudum in Bibliopoliis fuerint desideratæ. Pervenit sane ad eruditos etiam exteros, quibus acceptum fuisse, eorum scripta testantur. * De Accessionibus novis quas addidisti, mi Jubenti, video eas caute satis abs te positas, ne cuiquam esse possint offendiculo. In Colloquio Quarto addidisti nonnullas narrationes Studiosi cujusdam de thematibus Metaphysicis, quæ an iste Studiosus satis perceperit ab Auctore, & an hic omnes conclusiones sit admissurus, & qua ratione explicaturus, ulteriore opus habet inquisitione. In eo tamen habes me consentientem, quod istiusmodi principiis novis carere possit absque periculo res publica. Ceterum, cum petieris ut editioni huic quam dare constituisti, adderem Præfationem, non deesse volui huic desiderio tuo,

&

* Vide inter alios JCti Megapolitani Celeberrimi Ernest. Joach. Westphalii *Tractatum admodum commendabilem de Consuetudine ex Sacco & Libro pag. 171.* & alibi.

& transſmitto tibi Libello præmittendam pro lubitu. In ea tamen reſpexi potiſſimum ad ipſum à me antehac compoſitum Libellum, non vero ad ſubjuncta Colloquia, quæ relinquenda tibi eſſe putavi. Vale amiciſſime Jubenti, & in officio, quod jam dudum contigiſſe tibi pro merito ſcio, feliciter perge.




Restauro del Libro
Badia
di
Cava